

electus narravit in supplicatione se renunciasset sibi competenti ad Ecclesiam de Cuba, quae verba intelliguntur de renuntiatione valida. 4. §. *Contestatum*, ff. De re iudicat., & tamen renuntiatione fuit nulla, cum per Papam non fuerit admissa, ut in d. c. *Quanto infra eod.* Nec potuit appellari renunciatio, & sic fuit obreptam Papae ex traditis per Abb. in *conf. 98. In casu, num. 4. in fin. & num. 50. vers. Non obstat secundum motum lib. primo.* Sanctissimus autem providit de Scholastica cum supposito renunciacionis, scilicet validae, sed non dispensavit cum eo, ut non obstante quod adhuc retineret Episcopatum, posset assequi aliud beneficium incompatibile.

20 Poterit si electus antea cessisset Episcopatum de licentia Summi Pontificis, & multo postea cessante omni fraude fuisset provisorius de Scholastica, non obstat haec Decretalis, ut pulchre determinat Hostien. hic num. 7. ubi querit, quod si Archiepiscopus ex iusta causa cessit, nunquid ei poterit de Episcopatu aliquo vacante provideri? & resolvit posse, dicens sic fuisse iudicatum per Clem. IV. Quando Nelfrancus Archiepiscopus Salisburgen. cessit, & Dux Poloniarum ad eandem ecclesiam promotus extitit, & praedicto Archiepiscopo de Episcopatu slesionensis Ecclesiae etiam eidem Salisburgen. subiectae provisorius fuit. Nec obstat quod hic dicitur; quia in provisione non de Archiepiscopatu, imò quando cessit, de Archiepiscopatu fuit, & remansit tantum Episcopatus, cui propterea licet de Episcopatu provideatur; unde etiam est ut talis possit in alterius Ecclesiae Episcopatum licite postulari, c. *Post translationem, infra de renunciat. cap. fin. sup. de postulat. Pralat.* & consequenter non obstat quod videtur descendere: imò enim eo tempore, quo ei providebatur non descendit, sed potius ascendit, cum de nullo Episcopatu ad Episcopatum ascendat, ut patet in c. 1. *infra de ordinat. ab Episc.* Imò in provisione non inspicitur ascensus, quin potius sustentationi necessaria subvenitur; unde in tali casu etiam de Parochiali ecclesia providebatur, ut in cap. *Ad supplicationem, infra de renunciat.* fortius ergo de Episcopatu, cap. *Pastoralis 7. q. 1.* Nec obstat quod hoc posset fieri in fraudem, & aperiret via ambitioni, ut si habens tenem Archiepiscopatum procuraret cessionem ad hoc, ut posset promoveri ad Episcopatum locupletem, quod est vitandum arg. cap. *Quanto, s. penult. infra de divort.* cum suis concordant. Quoniam, ut respondet Hostien. *ubi supra*, Papa, ad quem solum spectat huiusmodi cessionem admittere, poterit sibi cavere diligenter inquirendo de causa cessionis. Quod si de fraude constaret, non esset cessio admittenda, nec provilio faciendae: qui tamen fraudem allegat, illam probare debet, l. *Quoties, §. Qui dolo, ff. De probat.* Ita Host. cui totidem fere verbis consentiunt hic Jo. Andr. *num. 4. Butr. num. 17. vers. Quia Archiepiscopus, & Imol. num. 14.*

Verum haec doctrina non applicatur casui, de quo agitur, quia electus non renunciavit prius Episcopatu, sed actus fuerunt contemporanei, & consecutivi, quia eodem contextu cessit, & ad Scholasticam se transiit, & sic de maiori dignitate ad minorem descendit contra dispositionem huius cap. Quinimò nec cessit saltem valide, cum cessio non fuerit admissa, ut dictum

28 est supra. Quia tamen per triennium, & amplius distulit suscipere munus consecrationis; & ideo est ipso iure privatus Ecclesia, ex decreto Concilii Tridentini, c. 2. *sess. 23.* Quamvis propria auctoritate cedere non possit, cum factum non sit notorium, nec declaratum per sententiam secundum ea, quae dicta sunt supra num. 14. nihilominus potest ac debet cedendi licentiam postulare, cum privato tituli impediat officij executionem, ac beneficij retentionem, ut c. *Nisi cum pridem, §. Propter cessionem, cum ibi notat. per gloss. in verb. Sed dumtaxat circa finem, infra de renunt.*

In sacra Congregatione rerum Consistorialium dictum fuit praedictae ecclesiae provideri posse uti vacanti certo modo, quem Sanctitati suae placeret habere pro expresso: sed hoc Sanctissimus facta sibi relatione non probavit, unde causa iterum propolita in Congregatione habitata die 6. Augusti 1649, resolutum fuit cessionem posse à Sanctissimo admitti.

DE TRANSLATIONE,

EPISCOPI

Cap. Quanto.

S U M M A R I U M

- 1 Episcopus qui propria auctoritate de sua Ecclesia se transferat ad aliam, carebit utraque. *Evangelij locus. Quos Deus conjunxit, homo non separet, intelligitur de matrimonio rati spirituali, quam carnali. & n. 63.*
- 2 Argumentum à matrimonio carnali ad spirituale validum est.
- 3 Erroris error circa Sacramentum Matrimonij.
- 4 Matrimonium spirituale cum Ecclesia contrahitur ab Episcopo tantum, non autem ab inferioribus Prelatis.
- 5 Episcopus solus de iure communi habet ius deserendi annulum.
- 6 Matrimonium spirituale in latiori significatione qui dicitur cum ecclesia contrahere.
- 7 Consistorium Dei, & Papa unum, & idem est censendum.
- 8 Appellare non licet à sententia Papa ad Tribunal Christi.
- 9 Translatio Episcopi fieri non potest nisi à Papa.
- 10 Papa an possit Episcopum invitum transferre latissime dicitur usque in finem.
- 11 Episcopus electus, & confirmatus, sed nondum consecratus non potest invitum transferri ad alium Episcopatum.
- 12 Episcopus electus non potest invitum consecrari, si dicitur esse dignitatis cedat.
- 13 Character sacramentalis non imprimitur praecise coacto.
- 14 Papa non posse Episcopum transferre invitum quibus rationibus probetur. & num. seq. usque ad num. 32.
- 15 Episcopus per translationem absolvitur à vinculo prioris ecclesiae non pure, sed sub conditione, quatenus consenserit.

- 16 Declaratur num. 91.
- 17 Matrimonium spirituale instar carnali iniciatur, firmatur, & consummatur.
- 18 Crescere invitum nemo cogitur.
- 19 Dos sine matrimonio esse non potest.
- 20 Dotum promissio intelligitur sub conditione, si nuptiae fuerint sequutae.
- 21 Translatio quantumcumque pura intelligitur sub conditione, si nuptiae cum secunda Ecclesia sequantur fuerint.
- 22 Donata res acquiritur donatario, sed non irrevocabiliter, quia potest illam revocare.
- 23 Consensus sicut acquiritur in coniugio spirituali contrahendo, ita & in dissolvendo.
- 24 Declaratur num. 91.
- 25 Matrimonium rati spirituale, quam carnale ad tempus contrahi non potest.
- 26 Filios adoptivos temporales abhorret lex.
- 27 Translatio quis non dicitur, nisi secunde Ecclesiae possessionem quisiverit.
- 28 Contrarium num. 99.
- 29 Beneficia promoti ad Episcopatum non vacant ante illius consecrationem, & adeptam possessionem Ecclesiae.
- 30 Idem si provisorius fructus Episcopatus non acceperit eo quod ad certum tempus alteri debeantur.
- 31 Beneficia electi, & in Curia consecrati conferuntur ex stylo Curiae etiam ante adeptam Ecclesiae possessionem.
- 32 Possessio non acquiritur sine animo.
- 33 Episcopus, quem non crimen, sed infirmitas ab officio abducit, Ecclesia privari non debet invitum.
- 34 Papam posse pro libito voluntatis Episcopum transferre invitum, qui auctoribus consenserint.
- 35 Ecclesia vacat eo ipso quod Papa invitum transfert nec ad eam datur regressus.
- 36 Episcopus quoad translationem liberum dissentium non habet, sed Monacho acquiritur. num. 37. et
- 37 Declaratur num. 75.
- 38 Ecclesia potest agere contra Episcopum translatum ut recedat.
- 39 Episcopus ab initio nemo cogitur fieri invitum.
- 40 Monachus non potest contradicere Superiori eum transferenti de Monasterio ad Monasterium. & num. 75.
- 41 Beneficia omnia Mandi sunt manu alia Papae. Declaratur num. 77.
- 42 Papa in beneficiis libere est pro ratione voluntatis. & num. 43.
- 43 Declaratur num. 79. & seqq.
- 44 Papa potest Episcopum deponere etiam sine causa. Contrarium. num. 78.
- 45 Papa potest facere Prelatum ad tempus.
- 46 Papa praesertim in beneficiis libere habet plenitudinem potestatis.
- 47 Et sola potestas est pro causa.
- 48 Declaratur num. 79. usque ad num. 88.
- 49 Patriarchatus, Archiepiscopatus, & Episcopatus Romanae fundantur Ecclesia.
- 50 Deservitio ad eum spectat, ad quem institutio.
- 51 Destruere potest ius, qui illud condidit.
- 52 Imperator potest auferre rem privatam, & dare militibus in praemium.
- 53 Papa potest rem uni Ecclesiae auferre, & dare alteri etiam sine causa, nec quisquam potest ei dicere, Cur ita faciat.
- 54 Contrarium. num. 70.
- 55 Declaratur num. 79.

- 49 Beneficiarius nec habet dominium usque, nec directum, sed est constitutus procurator, & administrator à Papa.
- 50 Sacerdotes etiam impiti possunt à suis Episcopis ex una ad aliam Ecclesiam transferri. & num. 89.
- 51 Papa potest in uno Episcopatu duos Episcopos constituere. & num. 89.
- 52 Augustinus non successit, sed accessit Valerio adhuc viventi.
- 53 Papa potest concedere duos Episcopatus uni Episcopo, item plures unire, & unum in plures dividere. & num. 69. & 89.
- 54 Item potest dissolvere matrimonium ratum non consummatum. & num. 89. & 93.
- 55 Item quandoque dissolvit matrimonium consummatum.
- 56 Prelati sunt procuratores, & dispensatores rerum Ecclesiae, non domini.
- 57 Papa est principatus dispensator bonorum Ecclesiae. & num. 70. & 82.
- 58 Papam non posse transferre Episcopum invitum nisi ex causa necessitatis, vel utilitatis Ecclesiarum, qui auctoribus teneantur.
- 59 Translationis iusta causa est inseparabilis resistentia populi etiam iniusta. & num. 61.
- 60 Ecclesia universalis est unum corpus mysticum multorum Episcoporum concordia numeroritate diffusum, cuius caput est Papa. & num. 107.
- 61 Papa si videt membrum Ecclesiae, id est Episcopum intulit esse ob persecutionem, quam patitur, debet illum amovere, & ad aliam Ecclesiam transferre.
- 62 Papa in his quae sunt de iure divino, non dispensat in casibus sibi permisis nisi ex iusta, rationabilis causa.
- 63 Coniugium spirituale inter Episcopum, & Ecclesiam est de iure divino, eiusque dissolutionem Deus suo iudicio reservavit.
- 64 Pape auctoritate quod fit dicitur fieri auctoritate Dei, si ex iusta causa fiat.
- 65 Papa dicitur habere celestis arbitrium.
- 66 Nec puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terra.
- 67 Deus non est auctor iniquitatis, sed omnia aut iusto iudicio facit, aut suo permisso ita fieri sinit.
- 68 Petri privilegium eatenus manet in Romano Pontifice, quatenus ex ipso fertur aequitate iudicium.
- 69 Papa non potest sine iusta causa Episcopatum dividere, Episcopo non consentiente.
- 70 Papa non est absolute dominus bonorum ecclesiae, sed dispensator. & num. 82.
- 71 Prelati beneficium non decet aliquem sine iusta causa à suis beneficiis amovere.
- 72 Translatio in materiae semper inra ponderant iustam causam utilitatis, vel necessitatis ecclesiarum.
- 73 Opiniorum conciliatio circa translationem Episcopi invitum.
- 74 Sedes Apostolica in causis maioribus magna circumspectione, & maturitate procedere consuevit.
- 75 Translatio Monachi quid differat à translatione Episcopi.
- 76 Priores per electionem canonicè instituti, nisi pro manifesta & rationabili causa non sunt mutandi.
- 77 Episcopus esse ad nutum amovibilis repugnat sacro regulis.
- 78 Depositio Episcopi in dubio censetur facta ex iusta causa.
- 79 Princeps potest sine causa invitum auferre de potestate absoluta, non autem de potestate ordinaria. Dispen-

- 30 Dissolutio non licet de factu Papa.  
 31 Papa quomodo intelligitur habere liberam dispositionem in beneficiis. & nam. seq. usque ad numer. 88.  
 32 Papalis potestatis plenitudo quod res temporales Ecclesie non exiit limitet potestatis dispensativa.  
 33 Papa tamquam habens apicem dispensative potestatis potest plus dispensare de rebus Ecclesie, quam quicumque alius Ecclesie Prelatus.  
 34 Iudicium eius debet de vultu Dei prodire.  
 35 Beneficium acceptans censetur ex quasi contractu se obligare ad illius administrationem.  
 36 Contractus sine causa dissolvi non potest etiam per Principem.  
 37 Papa an habeat aequalem potestatem in Episcopatibus, atque in beneficiis inferioribus.  
 38 Sacerdotes non possunt ad aliam Ecclesiam transferri invitati, nisi ex causa communis utilitatis, vel necessitatis.  
 39 Papa non dispensat super pluralitate Cathedralium, nec super matrimonio rato, & alijs huiusmodi sine gravi causa. & num. 92.  
 40 Dispensatio nulla fieri debet nisi ad honorem Christi, vel utilitatem Ecclesie.  
 41 Translatio facta in gratiam Episcopi non inducit vocationem Ecclesie, nisi post consensum prestitum ad secundam, usque ad num. 98.  
 42 Translatio in favorem solius translati improbat a sacris canonibus.  
 43 Dissolutio matrimonij spiritualis, sicut & carnalis non consummatur, sine gravi causa fieri non debet.  
 44 Episcopus transiens ad aliam Ecclesiam sine iusta causa dicitur adulterium committere. & n. 109.  
 45 Dispensatus ad maiorem curam non potest transire ad parvam.  
 46 Translatio in dubio censetur fieri de Episcopo non invito. & num. 120.  
 47 Translatio facta in gratiam Episcopi requirit illius consensum, non ex defectu potestatis Papa, sed voluntatis.  
 48 Et sufficit consensus presumpsus.  
 49 Vacatio Ecclesie inducitur eo ipso quod Episcopus translationi consentit etiam ante adeptam possessionem secundam.  
 50 In translatione duo extrema sunt consideranda.  
 51 Episcopus vacat eo ipso quod Episcopus ex causa transferatur invitatus, nec ad eum datur regressus.  
 52 Episcopus an contrahat spirituale conjugium cum Ecclesia, ad quam transferatur. & num. seq. usque ad num. 113.  
 53 Matrimonium spirituale sicut & carnale & sine consensu contrahi non potest. & 117.  
 54 Professio regularis ad sui validitatem requirit consensum, qui ab Ecclesia suppleri non potest.  
 55 Vinculum fornicis est inter Episcopum, & Ecclesiam, quam inter professum, & religionem.  
 56 Voti solemnitas ex sola Constitutione Ecclesie est inventa.  
 57 Extratranslatione locus tantummodo variatur, non autem dignitas Episcopalis.  
 58 Locus vel sublimior, vel inferior non reddit Episcopum.  
 59 Episcopus dum ante vinculo prioris Ecclesie non potest consentire alteri matrimonio spirituali; alijs continget adulterium spirituale.  
 60 Translatio est modus providendi Ecclesie, sicut electio.  
 61 Papa est sponsus universalis Ecclesie.

- 112 Translatio quoad primam Ecclesiam habetur pro mortuo.  
 113 Ecclesia secunda dicitur viduata per obitum Episcopi ad eam translata.  
 114 Vidua esse non potest, quia virum non habuit.  
 115 Prælati quia ratione dicuntur Ecclesie sponsi.  
 116 Christus solus est proprie sponsus Ecclesie.  
 117 Episcopus aequè absolvitur à vinculo Ecclesie per translationem, ac per cessionem, vel depositionem.  
 118 Vir solutus à vinculo matrimonij tam carnalis, quam spiritualis cogi non potest alteri nubere.  
 119 Episcopus an cogi possit causative ut translationi ad secundam Ecclesiam consentiat.  
 Postulatus est beneficiari non possit præcisè invitari, tamen potest cogi, ut de nolente fiat volens, ibid.  
 120 Episcopus in dubio an cogatur transire ubi non apparet an translatio fuerit facta ex causa necne. & num. seq.  
 121 Causa presumitur in Principe etiam in his, quæ competunt alicui de iure gentium, vel de iure divino, ubi solitum est dispensari.  
 122 Monachus per Papam translatus ad secundam monasterium an possit ad primam redire sine licentia Papæ.  
 123 Translatio an censetur facta de Episcopo non invito, cum non apparet an Papa processerit providendo, vel iubendo.

**Q**UANTO Episcopus, qui propria auctoritate de sua Ecclesia se transfert ad aliam, carebit utraque. Hoc dicit, & secundum intentionem tres habet partes. Prima factum narrat. Secunda aggravat, ibi, Non attendentes. Tertia punit, ibi, Ne autem.

Nota primo auctoritatem illam Matth. 19. videlicet, Quis Deus coniunxit, homo non separat, esse intelligendam non tantum de matrimonio carnali, ut in c. Quos Deus, & cap. An quod, 33. qu. 2. in c. Ad limina, 30. qu. 1. & c. fin. infra eod. Sed etiam de matrimonio spirituali, quod contrahitur inter Episcopum & Ecclesiam, ut hic patet. Unde primò colligitur DD. valere argumentum à matrimonio carnali ad spirituale, cum utrumque sit de iure divino, c. Sicut vir, & c. Sicut alterius, 7. qu. 1. c. Prox. supra eod. & infra, c. seq. & c. Quoniam frequenter, s. Porro. Ut lite non contest. & hic notant Anton. de Butr. n. 2. & Abb. num. 1. Cyn. Salic. & Legista in Authen. Nisi rogati, c. Ad Trebell. de quo dic ut notatur in c. Cum apud de Sponsal. & per Ioan. Andr. in c. Tunc eod. cir. Et vide tres notabiles differentias quas inter utrumque conjugium ponit idem Abb. in sua questione prima, quæ incipit, Episcopus, & quidam Rector, col. 4. num. 7. vers. nec mirum si non ita facile solvitur. Imò videntur tres differentias cumulat Euerard. in sua Centuria in loco à matrimonio carnali ad spirituale à num. 10. usque in fin. Cavetamen ab octava differentia, quam ibi ponit dicens, matrimonium spirituale habere in se aliquid sacri, cum detur propter administrationem Sacramentorum, & divinorum; matrimonium verò carnale nihil in se spiritualitatis habere, nec per illud gratiam conferri. Hæc enim est hæresis damnata à Tridentina Synodo sess. 24. de Sacramen. Matrim. can. 1. Si quis dixerit matrimonium non esse verè, & propriè unum ex septem legis Evangelicæ

gelicæ Sacramentis à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit. In eundem errorem incaute lapsa est gloss. in c. Cuius in Ecclesia in ver. Benedictionibus mibentium, infra de Simonia.

Secundò hinc Doctores colligunt spirituale matrimonium propriè non esse nisi inter Episcopum, & Ecclesiam suam; nam de Episcopis dumtaxat auctoritatem prædictam intellexit Ecclesia; non autem de inferioribus Prælatibus. Conferretur, in c. Requisiti de restam. ibi, (Quoniam non est tanta communio inter Episcopum, & inter Capellas, vel Monasteria, seu alia pia loca, quanta est inter Episcopum, & Ecclesiam Cathedralium, cui est spirituali conjugio copulatus.) & propterea dicunt Doctores solum Episcopum de iure communi habere jus deferendi anulum, ut in c. Clerici, infra, de vita, & honest. Cleric. & notat Butr. in c. fin. num. 1. & 15. supra de postulat. Prælator. quia nimirum ipse est proprius sponsus Ecclesie suæ, ut in d. c. Sicut, ubi hoc late probat Turrecr. & objectis respondet.

Idem docuit sanctus Thomas in 4. dist. 20. art. 4. qu. 1. dicens, solum Episcopum propriè dici Prælatum Ecclesie suæ, & idè Episcopum solum quasi sponsum recipere anulum Ecclesie. Et in 4. sentent. dist. 29. quest. 3. art. 3. in corpore, ubi ait per anulum significari Sacramentalitatis, quæ Ecclesia deponitur. Christo Episcopi enim sunt Ecclesie sponsi loco Christi. Reliqui autem Prælati inferiores non sunt sponsi Ecclesie, nec cum eis propriè est matrimonium spirituale, ut tenet Archid. in eod. c. Sicut Butr. in d. c. fin. num. 15. & ibi etiam Abb. num. 5. licet invitet eos sit quasi matrimonium, cum propter eorum mortem Ecclesie dicantur viduata, ut in c. Ne pro defectu, & in c. Quia propter, & ibi gloss. 1. supra tit. proximo, latius dicitur matrimonium inter Rectorem, & Ecclesiam, ut inquit gloss. antepenultima in c. Dudum, in secundo, supra de elect. & Innoc. in c. Quoniam, s. 2. vers. Si vero infra. Ut lite non contest. & latissime inter præbendam & præbendam, ut in c. Accedens, de præben. & notat Butr. in d. c. fin. num. 1. de postulat. Prælat.

Secundò nota ibi, non enim homo, sed Deus separat. factum à Papa censi factum à Deo, cuius vicem Papa gerit in terris. Unde ut notabiliter hic ait Hoff. num. 11. in ver. Vicem. Consistorium Dei, & papa unum & idem est censendum. Cuius dictum sequitur Ioan. Andr. num. 3. in ver. Non enim, & Doctores hic, & valde extollit Abb. in præleg. qu. 1. num. 1. col. 2. vers. Hoff. vero, & probatur arg. c. 1. & 2. supra eod. & cap. Romana, in primo respon. de appell. lib. 6.

Undè inferitur, ut sicut à Vicario Episcopi ad Episcopum non admittitur appellatio, ut in c. 2. de Consul. lib. 6. & d. cap. Romana, ita nec liceat appellari à Romano Pontifice ad Tribunal Christi. Ita Collectar. in cap. Quæ multoties, de reg. iur. quem refert, & sequitur Præpos. in Summa 15. dist. num. 72. vers. Ex determinatione prædicti articuli.

Ultimò nota Episcopum non posse se ad aliam Ecclesiam transferre sine Romani Pontificis auctoritate. Rationem reddit textus in c. fin. supra de postulat. Prælat. & in cap. Nisi cum pridem in

extremis verbis, infra de reventio. videlicet, quia suæ alligatus Ecclesie liberum non habet absque Papæ permissione volatum, idque propter spirituale conjugium cum Ecclesia initum, cuius dissolutionem omnipotens Deus suo tantum iudicio, & Romani Pontificis ius Vicarij reservavit, ut legitur in c. proximo supra eod.

QUÆRO, an Summus Pontifex possit Episcopum invitum ex una ad aliam Episcopatum transferre.

Hæc investigatio plurimum proficere potest ad dignoscendum an Cathedralis Ecclesia vacet à tempore translationis factæ per papam; an verò à tempore acceptionis Episcopi translati. Quæ de re fuit olim ardua questio in Episcopo Florentino in absentia ad Cardinalium promotum ab Urbano VI. Nuceria obfeso. Veritatem enim in dubium an episcopatus vacaret à tempore quo fuit pronunciat Cardinalis an verò à tempore ratificationis dumtaxat, & Doctores fuerunt varij, ut refert Abb. in c. fin. num. 13. supra de postulat. Prælat.

Pro clariori solutione questio potest dividi in duo membra. primum est an episcopum electus, & confirmatus, sed nondum consecratus possit transferri invitum ad alium episcopatum. Secundum, an invitum transferri possit episcopum jam consecratus.

Quoad primum membrum breviter concludendum est, episcopum nondum consecratum non posse invitum transferri, prout in d. c. fin. concludunt Hoff. num. 1. vers. Et hoc intelligit, Ioan. Andr. num. 2. vers. Quod intelligit, de voluntarie consecrato. Butr. circa fin. vers. Aut est tantum confirmatus, & Abb. num. 11. vers. Et hoc verum, & philipp. Prob. ad Ioan. Monac. in c. Generali, num. 39. de elect. lib. 6. Ratio est secundum eos, quia non potest invitum consecrari, sed factis est ut dignitati eedat, si consecratus renuit, ut in c. Quoniam quidam, 100. dist. & in c. proximo, s. Sed neque, supra eod. Licet aliàs cedere non possit sine Papa licentia speciali, ut in d. c. proximo. Idem docuit S. Thomas in 4. dist. 25. q. 2. art. 1. q. 2. ubi ait, ad episcopatum ubi in corpus Christi mysticum accipitur potestas, requiritur actum suscipientis curam Pastoralis; & idè esse etiam de necessitate consecrationis episcopalis ut suscipiens ulum rationis habeat. Confer textus in c. Maiores, s. fin. de baptisim. ubi est expressum præcisè coactio characterem non imitari, quia tunc characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicere voluntatis contraria non invenit obstantem.

Quoad secundum an scilicet Romanus Pontifex possit invitum transferre episcopum jam consecratum, Gravis est difficultas, & Doctores in varijs opinionibus scinduntur. Prima opinio est eorum, qui putant Papam absolute non posse episcopum invitum transferre: cui videtur adhaerere Ioan. Mon. in c. Generali, n. 10. vers. Sed quare, de elect. lib. 6.

pro qua opinione adducitur primò, quia et si per translationem episcopum absolvetur à vinculo prioris Ecclesie, ut est moris, & juris, ut in d. c. fin. & in c. proximo, s. Sicut, supra eodem, tamen huiusmodi absolutio non est pura, sed conditionalis, id est si episcopus consenserit. Quod sic probatur secundum Ioan. Mon. ubi su-

17 *pra*; nam matrimonium spirituale, sicut carnale iuratur, formatur, & consumatur, c. proximo, infra eodem. Et quemadmodum initiatur consensu religio, & electi, ad id ut ius electio acquiratur, licet iuris executio regulariter non tribuatur, ut notatur in c. *Quintus*, dist. c. *Noli*, & c. *Qualiter* supra electi. eodem modo dissolvitur ex dissensu, arg. leg. 2. c. *Quandocumque*, abempt. dist. c. *Atque* ita non solvetur Episcopus a vinculo prioris Ecclesie, nisi post consensum praelatum ad secundam. Et hoc Jo. Monac. testatur se vidisse pluries in Curia declarari. Et est ratio secundum eum, quia nemo invitus tenetur credere, cap. *Vbi ista reliqua*, 74. dist. Et nemo invitus contrahit, nec invitus contrahit iam in iure dissolvit, l. *Sicut*, c. *De actione*, & oblig. l. *In iure*, c. *De contrah. empt.* Ergo in his semper subintelligitur conditio, si placuerit.

19 Id quod exemplo etiam suaderi potest nam idos non potest esse sine matrimonio, l. 3. c. *De interd.* Quemadmodum nec acquisitio secundae spsae spiritualis absque liberatione, a prima arg. cap. 2. & *infra*, de secund. nupt. Sed in primo casu quantumcumque promissio dotis sit pura, subintelligitur conditio, si nuptiae fuerint subsecuta, l. *Stipulationem*, & l. *Plerumque*, §. *Si ante*, ff. *De iure dot.* l. *Ex eo tempore*, ff. *De milit. testam.* Ergo similiter translatio quantumcumque pura intelligitur sub conditione, si nuptiae cum secunda sequuta fuerint, arg. l. *Legatario*, in 2. responsio, ff. *De legat.* l. 1. & cap. *Si qui Episcopi*, 92. dist. Neque obstat textus in l. 1. in fine, ff. *De honor. posses.* ex testam. milit. quia intelligitur sub eadem conditione, si accesserit consensus

22 translati: sic videmus rem donatam acquiri donatario, sed non irrevocabiliter, quia potest illam respuere, c. *Si tibi absenti*, de preben. lib. 6. Sic etiam videmus in legato, quod est donatio, ut insinuat, de legat. in princ. Cujus dominium a morte testatoris transit etiam in legatarium, l. *A tito*, ff. *De iur. l. Campater*, §. *Sardo*, §. *De leg. secundo*, & tamen hoc etiam casu subauditur praedicta conditio, si voluerit, l. *Si ita legatum*, §. *Illi voluerit*, ff. *De legat.* l. 1.

23 Secundo principaliter pro eadem sententia affertur, quia prout unum quodque producit, sic resolvetur, cap. *Omnibus*, infra de regul. in. l. *Nihil tam invariabile*, ff. *col.* Sed spirituale matrimonium in et Praelatum, & Ecclesiam a principio producit per consensum Praelati, ut in cap. *Inter Canonicos*, §. *penult.* & cap. *Invenit*, supra de election. & in praedicta decret. *Si tibi absenti*. Ergo eodem modo per consensum Praelati resolviatur.

24 Tertio si Papa ad nutum possit Episcopo a prioribus Ecclesiis amovendo transferre, ijdem Episcopi uterentur quodammodo ad tempus, id est ad beneplacitum Papae matrimonium cum sua Ecclesia contraxissent, quo est absurdum, quia sicut non potest contrahi ad tempus matrimonium carnale, ut in cap. *in de condit. appof.* ita nec spirituale illi equiparatum, ut hic, & in cap. *Proximo*, supra eod.

25 Quemadmodum enim lex abhorret adoptivos filios temporales, ut l. *Si tibi*, alias incipit: *Quoscumque*, ff. *De adoption.* ad eundem modum fieri Canones abhorrent Rectores in Ecclesia temporales; subintelliguntur illos esse perpetuos, non

oblitare quavis consuetudine, vel statuto, ut habetur in cap. *de Capell. Monach.* lib. 6. & constat ex decreto Concilio Racentio dicentis: In qua Ecclesia quilibet intulatus est, in ea perseveret, ut refertur in cap. *Sanctorum*, 70. dist. & scripti latissime in cap. *in infra*, de off. Vicar. 26 Quarto non dicitur quis translatus, nisi secunda Ecclesiae possessionem qualiter per administrationem Ecclesiasticorum beneficiorum, vel alias in c. *Si qui Episcopi* 20. dist. & notat gloss. in c. *Si qui iam translatus*, 21. quest. 2. & est simile in proviso, cujus beneficia non vacant ante illius consecrationem, & adeptam possessionem Ecclesiae, cap. *Cum in condit.*, §. *Cum vero*, de elect. c. *Licet Episcopus*, de preben. lib. 6. ita ut interea conferre non possint, ut est decisum in §. *Post electionem*, juncta gloss. in ver. *Confirmationem*, de concess. preben. Quinimo voluit gloss. notabilis in cap. *Si tibi concessio*, in ver. *Vacare*, de preben. lib. 6. per illum textum, ut etiam post consecrationem, adeptam possessionem, si tractus Episcopatus non percipiat promotus eo quod ex causa ad certum alicui confertur non possint, sed ab eodem interea retineri valeant. Et quamvis in Curia Romana servetur, ut beneficia electi, & in Curia consecrati etiam ante adeptam possessionem illico conferantur; hanc tamen consuetudinem ex praedictis dicit esse damnabilem, Joan. Andr. in Clem. 1. in gloss. in ver. *Collato*. Ut litem pend. & Roman. conf. 345. Circa primum num. 17. Sed Episcopo invito quare non potest secundae Ecclesiae possessio, cum animam requiret, l. 1. §. *Adhuc*, c. *l. Quoniam*, §. *Insanis*, ff. *De acquir. posses.* Ergo nec de invito fieri potest translatio.

31 Ultimo pro hac opinione videtur textus expressus id cap. *Quomodo*, 7. quest. 1. ubi Gregor. sic formaliter ait: Quia vivente Episcopo ab officio suo necessitas infirmitatis, non crimen abducit, alium loco ejus, recitante eo, nulla finitatio ordinari.

32 Secunda opinio primae opposita est eorum, qui arbitrantur Papam posse Episcopum absolute transferre, pro libito voluntatis, Quam sequitur gloss. *Secunda in c. Omnis*, 7. quest. 1. dum dicit, Papam posse absolute Episcopum cogere, ut transeat de una ad aliam Ecclesiam. Idem tenet Hugo, & post eum Turres. in cap. *Sicis*, in fine, vers. *Sargit hic questio*, ead. caus. & quest. ubi formaliter dicit, Papam ex toto, sine simpliciter absolute posse cogere Episcopum ut ad alium locum transeat, & abrenunciet primo. Et Calderin. conf. 56. circa finem, num. 4. vers. *Patet*, quod est primum in titulo de translat. Praelatorum, ubi tenet expressè Papam transferendo posse absolvere invitum a vinculo quo tenetur Ecclesiae suae etiam sine causa; licet subdat hoc non esse debitum vel honestum. Et hoc casu, id est cum igitur de invito, ut voluntas Pontificis sit eam omnino quantumcumque invitus transferre sine causa, illico vacat Ecclesia, nec ad eam datur regressus, ut tenet idem Calderin. conf. 2. eod. tit. & Rota dec. 475. sub num. 6. vers. *Sed quod in simplici translatione*, par. 1. in recentior. Idem sentit Host. in cap. *in fine*, in supra, de postulat. Praelator. ubi ait Episcopum non habere dissentium liberum quo ad translationem, & quoad hoc comparari Monacho, qui ius contradicendum non ha-

habet. Et cum Hostien. transeunt ibidem Joan. Andr. num. 2. vers. *Sed nec habet liberum dissentium*, Butr. Cardin. Abb. & alii communiter, prout hanc esse communem Doctorum opinionem testatur Prapof. in d. cap. *Omnis*, num. 1. 7. quest. 1. quam & Bald. amplectitur, in l. *rescripta*, nu. 8. vers. *Item omnia beneficia*, c. *de precib. Imper.* offerent, ubi disertus verbis ait Papam posse pro libito voluntatis Episcopum de suo Episcopatu ad alium transferre, cique subseribit Redoan. de *Simonia* par. 2. cap. 12. num. 6. & Philipp. Prob. ad Joan. Monach. in cap. *Generalis*, num. 41. de elect. lib. 6. Quibus addi potest etiam Joan. Andr. in addit. ad specul. in tit. de translat. in ver. *Nec obtenta*, ubi videtur sentire, contra Episcopum per Papam translatum posse Ecclesiam agere ut recedat, si de factore renuat recedere.

36 Huic secundae opinioni ex mente Hostiensis suffragatur primo, quod est ab initio nemo cogatur episcopari, ut in d. c. *Inter canonicos*, §. 1. & c. *Innotuit*, supra tit. proximo: tamen ex quo senel consentit de una Ecclesia, ad aliam etiam invitus transferatur, cap. *Sicis frater*, 7. q. 1. Hac enim in parte Episcopus Monacho comparatur, qui superiori transferenti non potest resistere, cum vellet, aut nolle non habeat, c. *Nolo*, & c. *Non dicatis*, 12. q. 1. c. *Religiosus*, de testam. lib. 6. & imputandum est illi, quod a principio consentit se ita indissolubiliter alligari, arg. l. *Sicut* c. *De actione*, & obligat.

38 Secundo eidem sententiae suffragatur, quod omnia beneficia mundi sunt obdientialia, & manualia respectu Papalis potestatis, Quod fuit celebre dictum Baldi in d. l. *rescripta*, num. 8. vers. *Item omnia beneficia mundi*: quem sequuti sunt Alciat. de praesumpt. reg. 3. praesumpt. 8. num. 3. Barbat. in tract. de praesumpt. Carlin. in 1. part. sub. num. 14. vers. *Et idem*, Philipp. Prob. ad Joan. Monach. in cap. *Generalis*, num. 41. de elect. lib. 6. Alexan. conf. 74. num. 29. lib. 4. Dec. conf. 124. n. 4. Cephal. conf. 235. n. 2. Cened. canonic. q. 22. sub. num. 3. vers. *Et respectu Papae*. Redoan. de *Simonia*, par. 2. cap. 12. num. 6. & passim alii. Et dictum Baldi videtur probari in c. *Si gratiore*, de refer. in 6. per quem textum dicit ibi Gemin. in penult. col. Papam in titulis beneficalibus habere pro ratione voluntatem, & posse ad libitum auferre Praelato titulum beneficii: & idem dicit in conf. 88. incipien. Innocentius Papa, in princ. vers. *Vnde cum Papa possit removere beneficalios quoscumque a titulis suorum beneficiorum, etiam nulla causa legitima subsistente*.

40 Hinc glossa singularis in cap. *Per principalem*, in ver. *Ad nos*, 9. q. 3. firmat Papam posse Episcopum deponere etiam sine causa, licet secus sit si vellet omnes Episcopos deponere, quia hoc esset turbare statum universalis Ecclesiae: & illam glossam sequitur ibi Gemin. & Cardin. conf. 84. *Venerabilis vir*, & in Clem. 1. in ult. notab. Ut litè penden. *Imola in c. Ad supplicationem*, in ult. notab. de renunc. & alii, quos congerit Felin. in c. *Quis in Ecclesiam*, num. 42. vers. *Per istam declarationem*, de constit.

41 Hinc etiam secundum Bald. ubi supra Papa potest facere Praelatum ad tempus, c. *Pastoralis*, 7. q. 1. Quae conclusiones innotantur huic principio, quia Papa praesertim in beneficalibus habet plenitudinem potestatis, cum sic supra omne

jus humanum positivum, cap. *Proposuit*, de concess. preben. Undè in his absolute potestatem omnia, c. 2. de preben. lib. 6. Clem. 1. ad fin. Ut litè penden. Gemin. conf. 8. Super praemis. num. 5. & seq. conf. 53. Pro responsione, num. 1. vers. *Secundo praemisso quod Papa*, & in d. conf. 88. in princ. vers. *Vnde cum Papa*, & Roman. conf. 298. Circa praemissa, num. 2. 3. plenè Abb. in praedeg. 43 q. 1. num. 1. vers. *Primum sic*, & sola voluntas habetur pro ratione secundum glossam hic in ver. *Veri Dei*, & sola potestas pro causa; Et qui de hoc dubitat, dicitur dubitare de fide Catholica, & tanquam sacrilegus est censendus, ut formaliter inquit Bald. conf. 477. *Quartum utrum*, nu. 1. lib. 1. quem sequitur Alexand. conf. 2. num. 19. lib. 1.

44 Secundo titulos beneficales, & signatur Patriarchatus, Archiepiscopatus Romana fundavit Ecclesia, ut est textus in c. 2. 22. dist. & in c. *Olivi*, 95. dist. & patet ex Decretali Epistola Eugenij IV. ad Archiepiscopum Cantuariensem, quae incipit *Non mediocri*, §. *Quod vero dignitas*, & habetur in Bullar. rom. 1. pag. 282. latè Prapof. in Summa, 44. dist. Ergo potest Episcopos a suis titulis, & administrationibus pro libito voluntatis amovere: nam, ut inquit ad litteram Eugenius in praedicta extraug. Papa potest adducere illud evangelicum verbum: *Amice non facio tibi injuriam*. Numquid non licet de meo facere quod volo? Quippe ad quem spectat institutio, ad eundem & destitutio, c. *In Eudamensis*, §. 1. & 2. de preben. Hostien. in c. *Postulasti*, num. 4. de homicid. & Dominus parius esse voluit ligandi, atque solvendi, ut dicit textus in c. *Verbum*, de penit. dist. 1. Quo argumento etiam utitur Innocent. in cap. *Cum ad monasterium*, num. 3. infra de statu Monachor. ad probandum in dispensationibus, quae fiunt per Papam contra jus positivum, sufficere solam voluntatem dispensatoris etiam sine ulla causa. Nam, inquit, [si sola voluntaria Constitutio erat causa quare aliquid prohibebatur; & sola voluntas erit causa quare prohibitio relaxetur, quia eius est destruere jus, qui illud condidit, nec tenetur Princeps sua lege ligatus, l. *Digna vox*, c. *de legib.*] Hæc Innoc. Tituli autem beneficales, ut praedixi sunt de jure positivo, de c. 1. & 2. 22. dist. c. *In illu*, 80. dist. c. 1. 86. dist. notatur per Innoc. & alios in c. *Nisi cum pridem*, de renunc. & in c. 1. de simon. & per Abb. in d. q. 1. num. 4. col. 3. vers. *Nam tituli beneficales*. Dixi in c. *in infra*, de penal. Cleric.

47 Tertio sicut Imperator potest auferre rem privati & dare militibus pro premio, l. *Item si verberatus*, ff. *De rei vendicat.* ita & multo magis Papa potest auferre rem unius Ecclesiae, vel Clerici, & dare alteri, etiam sine justa causa. Et quamvis injultè agat, tamen ferendum est, nec quatenus potest ei dicere, *Cur ita facis*, c. *In memoriam*, 19. dist. §. *Ex persona*, de penit. dist. 3. gloss. *hic in ver. Veri Dei*, nec beneficiatus potest contradicere, quia dominium non habet neque utile, neque directum, sed est contentuos procurator, & administrator a Papa. Quo argumento utitur Paul. de Castro conf. 415. *In facto presente*, num. 4. vers. *Præterea*, lib. 1. & idem tradit conf. 46. in fin. 50 vers. *Plus videtur*, & num. 3. vers. *restat*, lib. 2.

48 Quarto idem suaderi potest exemplo inferiorum Sacerdotum, qui etiam invitati possunt a suis

Episcopis ex una ad aliam Ecclesiam transferri, c. *Quantum*, de ver. permut. gloss. in c. *Omnia in ver. Coadi.* 79. q. 1.

51 Quinto videmus Papam posse in uno Episcopatu duos Episcopos constituere, ut in c. *Non autem* 7. qu. 1. ubi hoc fuit gestum in persona Augustini qui non successit, sed accessit Valerio adhuc viventi, nec fuit deputatus simplex coadjutor, sed verus Episcopus, ut ibi legitur, & notatur. Item potest concedere duos Episcopatus uni Episcopo, ita ut sit Episcopus utriusque, ut in cap. *Relator*, 11. q. 1. Item venire duos Episcopatus, & unum in plures dividere, c. *Et temporis*, 16. q. 2. & cap. *Sicut vivere*, de excess. *Prelator*. Atque ita potest facere contra statutum, & ordinationem Concilii, & Beati Petri Apostoli, qui precipit, ut in singulis civitatibus singuli, & non plures ponantur Episcopi, ut refert B. Clemens in cap. *In illis*, 80. dist. & *Anacletus in c. seqq.*

54 Sexto, Summus Pontifex dissolvit matrimonium ratum non consummatum, ut communiter notatur in c. *Commisum*, de sponsal. & in c. *Ex publico*, de convers. coniug. & quandoque etiam consummatum, videlicet inter infideles cum alter conjugum ad fidem convertitur, & alter renuit secum habitare sine contumelia Creatoris, c. *Quantis*, de divor. tamen inter eos sit verum matrimonium, eiusque dictum fuerit à Domino, Quos Deus coniunxit, &c. c. *De infidelibus*, de censur. & affinit. Ex hoc casu dissolvit matrimonium carnale etiam altero conjuge invito, Fortius ergo poterit solvere matrimonium spirituale transfrendo Episcopum invitum ad aliam Ecclesiam, cum arctius sit vinculum matrimonij carnalis, quam spirituales, ut notat gloss. in cap. *proximo in ver. fortius supra eod.* & Abb. in d. qu. 1. col. 4. n. 7. vers. *Nec mirum si non ita facile solvitur.*

56 Septimo, spirituale conjugium inter Episcopum & Ecclesiam contrahitur non propter bonum privatum ipsius, sed propter bonum Ecclesie, non ut ei praesit, sed ut prosit, ut patet in c. *Qui Episcopatum*, & in c. *In scripturis*, 8. q. 1. Unde fit ut Praelati dicantur procuratores, & dispensatores, non domini, ut in c. *Fraternitatem*, de donat. & c. *Videntes*, 12. qu. 1. bonorum autem

57 Ecclesie principalis administrator, & dispensator est Romanus Praeful S. Thom. in 2. 2. qu. 100. art. 1. ad 7. Jo. de Lign. in Clem. *Gratia*, de refer. Abb. in c. *Extirpanda*, §. *Qui vero*, de preben. Si igitur Papa vult praelatum removere, non potest subditis relinquiri, cum reddat suspectum, & removibilem eo ipso quod se ingerit administrationi invito Papa arg. optimum in c. *Que omnia*, ff. de procurator.

58 Ultimo, pro hac parte adducuntur plura iura. Host. & Joan. Andr. allegant, cap. *Sicut frater*, 7. q. 1. Hugo, glossa, & Turrecrem. citant c. *Cuncta per mundum*, §. *Nunc*, verò, & c. *Per principalem*, 9. qu. 3. Qui tamen Canonēs nullatenus probant translationem fieri posse pro libito voluntatis; quin potius probant oppositum; ut inferius patebit, num. 72.

Inter has duas opinioniones oppositas est tertia media, quae nec absolute negat, nec absolute affirmat Episcopum invitum posse per Summum Pontificem ad aliam Ecclesiam transferri, sed ita

demum si concurrat causa utilitatis, vel necessitatis Ecclesie, alias secus. Ethic tertia opinio adhaeret Joan. Monac. in c. *Generaliter*, num. 17. de elect. lib. 6. ubi ait. Non nego quin Papa possit transferre Episcopum invitum, saltem ut careat prima, quem sequitur totidem verbis Jo. Andr. in cap. *Quod ob gratiam*, col. 2. num. 1. in fine vers. *Factur tamen*, de regul. iur. lib. 6. in *Mercator*. Idem tenet Calderin. in cons. 57. *Ansi duo Episcopi*, quod est secundum, de trans. *Prelator*, dicens translatum non posse contradicere, cum translatio fiat ob utilitatem Ecclesiarum, Bellam. in c. *Omnia*, n. 1. vers. *Item gloss. q. 1.* ubi dicitur per istam glossam videtur, quod Papa potest praesentem, & absolute Episcopum cogere transire de Ecclesia sua ad aliam, etiam invitum; quod cum grave dictum sit, restringe ad limitem rationis, videlicet cum propter necessitatem, vel utilitatem evidentem Ecclesiarum hoc facit, quia re vera alius non debet fieri. Et pro hac parte latissime consuluit Ludou. Roman. cons. 345. incip. *Circa primum consulationis articulum*, ubi ex facto respondit Papam de illa disponere, & probabili causa invitum transferre non posse, & consequenter ante eius ratificationem Ecclesiam non dici vacare, nec posse Papam de illa disponere, & cum referret, & sequitur praepos. in d. c. *Omnia*, num. 1. Subdens factam fuisse extravagantem in Concilio Constantensi, quod sine causa non possit Papa invitum transferre. Abb. in c. *Constitutus*, col. 3. *De relig. domib.* ubi similiter testatur tempore suo statutum fuisse in Concilio Basiliensi, ut nec Episcopus, nec Abbas possit transferri invitum sine causa rationabili; & idem Abb. in c. *in fine*, de postul. *Prelator*. & in sua quest. prima col. 13. num. 15. vers. *Sexto & ultimo*, ubi refert id ipsum fuisse statutum Pisis in Concilio, cui praesuit Alexander Papa. Sequitur Felin. in c. *Que in Ecclesiis*, num. 43. de *Constit.* ubi ait Papam non posse Episcopum transferre invitum nisi subesset causa, puta incompenabilis resistencia populi etiam injusta; quia tunc papa potest eum transferre cum bono cambio, allegat Innocent. in cap. *Nisi cum pridem*, in secunda col. de *renunc.* & tunc sit remotio sine culpa, sed non sine causa, & multos cumulat pro hac parte, & de communi testatur. Imò hanc esse communem opinionem affirmat Horat. Mandos. in addit. ad Roman. dicto cons. 345. in ver. non possit.

Porro haec tertia opinio duo habet membra. Primum est affirmativum, videlicet papam ex causa posse transferre Episcopum invitum. Secundum est negativum, id est papam sine causa invitum transferre non posse. Primum membrum affirmativum probatur primo ex fundamentis adductis pro secunda opinione à num. 36. Nam rationes omnes quae probant papam posse transferre invitum sine causa, & pro libito voluntatis; multo magis probant posse sic invitum transferre ex iusta, & rationabili causa. Deinde probatur, quia Ecclesia est unum corpus mysticum, ut in Cantico Canticorum. *Vna est Columba mea*, c. *Firmiter*, §. *Vna*, supra de *Summa Trinit.* c. *Novatianus*, 7. q. 1. c. *Loquitur Dominus*, 24. q. 1. *Extravag. Vnani sanctam*, de maiorit. & obed. Sponsus verò hujus Columbae

& caput hujus mystici corporis est Papa, c. *Rogamus* 34. qm. 1. Hoc autem mysticum Ecclesie corpus comparatur corpori humano; quia sicut in uno corpore multa membra habemus; omnia autem membra non eundem actum habent; ita in Ecclesie corpore secundum veridicam Pauli sententiam in uno eodemque spiritu multa sunt membra per diversa officia distributa, ut legitur in c. *Singula* 89. dist. Quemadmodum ergo divina veritas praecipit membrum illud, quod reliquum corpus humanum scandalizet, debere abscindi, & à reliqua compage corporis separari, c. *Illud* 24. qu. 3. ita si Romanus pontifex videt aliquod Ecclesie membrum, id est Episcopum inutilem esse eo quod propter ejus personam patiatur Ecclesia persecutionem, & per ipsum reliqua membra scandalizentur; debet ex officij sui debito huic morbo antidotum parare, & membrum illud ab eadem Ecclesia abscindere, id est amotionem seu translationem facere. Ita Egid. Cremonen. in quadam sua disputatione quam ad litteram refert Joan. Andr. in cap. *Quod ob gratiam*, num. 2. de regul. iur. lib. 6. & sequitur Roman. dicto cons. 345. num. 3. vers. & hanc opinionem.

Secundum verò membrum negativum similiter probatur primò ex fundamentis allatis pro prima opinione de qua supra num. 16. Quoniam rationes quae ostendunt Episcopum invitum absolute per papam transferri non posse, probant multo minus fieri posse hujusmodi translationem si nulla rationabilis causa concurrat.

Ac praeterea probari potest, quia in his, quae sunt de jure divino, Papa dispensare non potest in casibus sibi permisis sine iusta, & rationabili causa. c. *Litteras*, de restitu. spoliat. c. *Sunt quidam*, 25. qu. 1. c. *Quanto*, & ibi gloss. in ver. *Ab solvi*, de iur. iur. in c. *si contra*, vel *ut public.* & est theoria Innocentij communiter approbata in c. *Quem Ecclesiarum*, supra de *Constit.* & in c. *Cum ad manasterium*, num. 3. in *ver.* de statu *monach.* Sed conjugium, quod inter Episcopum, & Ecclesiam contrahitur, est de jure divino, cum auctoritas illa, *Quos Deus coniunxit*, homo non separet, etiam de spiritali conjugio intelligatur, ut hic est textus, & dictum est supra in primo notab. ejusque dissolutionem Deus suo iudicio reservavit, ut in c. *proximo supra eod.* Ergò papa non potest super eo dispensare, illudque per translationem dissolvere sine iusta, & rationabili causa. Unde cum text. in d. c. *prox. dicat*: *Non enim humana*, sed potius divina potestate conjugium spirituale dissolvitur, cum per translationem auctoritate Romani pontificis, quem constituit esse Vicarium Jesu Christi, Episcopus ab Ecclesia removetur; gloss. in ver. *Divina*, notat, quod fit auctoritate papae, dici factum auctoritate Dei; & mox subdit ad propositum nostrum: *et verum est si iusta causa hoc faciat*, c. *Quodcumque*, 24. q. 1. & c. *si quis non videro*, q. 3. & idem notant ibi Innocent. num. 1. in ver. *separet*, Host. num. 22. in ver. *Removetur*, & Bellam. in eod. ver. et merito, quia papa in his dicitur habere caeleste arbitrium, l. 1. in fine, c. *De Summa Trinit.* & non homo, sed Deus separat quos Romanus pontifex qui non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris Ecclesiarum necessitate, vel utilitate pensata, non humana, sed divina potius auctoritate

67 dissolvit, ut hic in littera. At si separatio fieret à Papa sine iusta, & rationabili causa, utique non Deus, sed homo separaret; nec divina, sed humana potius auctoritate conjugium dissolveretur, quia Deus non est auctor iniquitatis, cap. *Quicumque*, 11. q. 3. Sed omnia aut iusto iudicio facit aut suo permisso ita fieri sinit: dicit textus in c. *Nec mirum*, §. *Arabicana*, vers. *Nec ideo*, 26. q. 5. ita arguit gloss. in c. *Nabuchodonosor* in ver. *Cum vero*, 23. q. 4. & *Cardin. cons.* 142. num. 2. vers. *Sed hic litteris non obstantibus*. Eatenus igitur manet in Romano Pontifice Petri privilegium, quatenus ex ipso fertur aequitate iudicium, dicit text. in c. *Manet*, 24. q. 1.

68 Tertio eadem conclusio probari potest exemplo, quia Papa sine iusta causa non potest Episcopatum dividere absque Episcopi consensu; textus est apertus in c. *Decimas*, §. *Quod autem dicitur*, vers. *Sunt enim*, 16. q. 1. & tenet gloss. in cap. 1. in ver. *Divisiones*, 10. dist. & ibi etiam Archid. & Abb. d. q. 1. num. 15. col. 13. vers. *Sexto & ultimo*. Ergò nec potest sine iusta causa Episcopatum illi in totum per translationem auferre, nisi consentiat, argum. l. *Que de tota*, & ibi gloss. l. ff. *De rei vendic.*

69 Quarto non potest Papa rem uni Ecclesie auferre, & dare alteri, cap. *Ecce*, & c. *Nullus*, 99. dist. c. *De Ecclesiasticis*, 25. q. 2. nisi iusta causa subit, c. *Consequens*, c. *Nunc vero*, & c. *Per principalem*, 9. quest. 3. gloss. in cap. 1. in ver. *In iustitiam*, 22. dist. Et ratio est, quia Papa non est absolute dominus bonorum Ecclesie, sed dispensator, S. Thomas in 2. 2. quest. 100. art. 1. ad 7. & latius patebit infra, num. 82. Ergò nec potest Ecclesiam Episcopo auferre, & dare alteri sine iusta causa. Ad hoc c. *Conquerente*, de restitu. spoliat. ibi, [ *Non deest honestatem Superioris sine manifestata, & rationabili causa aliquem à suis beneficiis amovere; imò tenetur illis paterna provitione consulere.* ]

71 Quinto dissolvere hujus spirituales conjugij vinculum est nuda voluntate, non alimiculate aliqua iustitia cause, est contra divinam dispositionem, contra Apostolorum ordinationem, contra Conciliorum auctoritatem, contra Romanorum pontificum Sanctiones, & contra iuris civilis, & naturalis rationem. Et singula haec membra egregie probat Abb. in sua quest. 1. col. 11. num. 15. vers. *Nam dissolvere tale vinculum*, & Ludovic. Roman. in prealleg. cons. 345. num. 7. vers. *Tertio quia dissolvere*, usq. ad num. 12. quae hic non transcribo cum facile ex ipsis haberi possint. Porro uterque ipsorum loquitur per eadem met verba; Uter autem ab altero mutaverit, plane non constat, cum fuerint contemporanei, & ambo Basiliensi Concilio interfuerint Romani pontificis hostes acerrimi, ut scripsi in cap. *significasti*, supra. tit. prox.

72 Ultimo probatur utrumque membrum, quia ubi de translatione iura loquuntur, semper ponderant iustam causam necessitatis, vel utilitatis Ecclesiarum, ut patet in hac decretali ibi, *Ecclesiarum necessitate, vel utilitate pensata*. Item in cap. *Mutationes*, 7. quest. 1. ubi Anterus papa, (Mutationes inquit, Episcoporum ficitote communi utilitate, atque necessitate fieri licere.) Idque probat exemplis translationum Petri Apostolorum principis, Eusebij, & Felicis. Item in

cap. *Sciis Prater*, ead. *caus. & quest.* præferim in fine; [Non ergo bene intelligunt, Ecclesiasticas regulas, qui hoc negant causa necessitatis, vel utilitatis fieri posse, quoties communis utilitas, vel necessitas persuaserit.] Idemque patet in duobus *cap. seqq.* At demum de hoc est textus apertus in *cap. Sicut alterius*, ead. *caus. & quest.* ubi cavetur, ut quemadmodum vxor carnalis alterius ab alio viro primò vivente desponsari non potest, ita nec sponsa Episcopi, quæ est ecclesiastica ipsius, possit eo vivente per alium disponi, seu desponsari sine voluntate. Et paulo post subnectitur: si autem utilitatis causa ad aliam ecclesiam fuerit invitandus, poterit non per se, sed autoritate Romanæ Sedis ad illam se transferre. Unde patet Romanæ Sedis auctoritatem in demum valere, si subsit iusta causa transferendi, & primum spirituale conjugium dissolvendi, prout hunc textum ad hoc dicunt esse apertum Abb. in *suâ quest.* 1. num. 14. col. 11. *vers. Venio ad secundum.* & Roman. d. *conf.* 345. num. 5. *vers. Hoc autem primò probò.*

73 In hac varietate opinionum, quarum, ut vides, nulla desinitur rationibus, & autoritatibus sego, ut dissidentes sententiæ quantum fieri potest ad concordiam reducantur, pro veritate arbitror tria membra esse distinguenda. Aut enim Summus Pontifex transfert episcopum invitum pro libitu voluntatis, & sine ulla causa, ita ut hoc sit certum. Aut illum transfert ex causa, ad eam ut hoc similiter sit certum. Aut dubium est an illum ex causa transferat, necne.

74 Quoad primum membrum concludendum est translationem episcopi inviti pro libito voluntatis, & sine ulla causa factam non sustineri. Probatur hæc conclusio ex fundamentis adductis pro tertia opinione à num. 58. quæ ni fallor, validissima sunt, licet hic casus ferè vix possit contingere; quia sedes Apostolica in causis majoribus, quales sunt episcoporum translationes, ut in *c. 1. supra eod.* & in *c. Nisi*, & *c. Quod translatorem*, *infra*, de *off. leg.* magna circumspectione, & maturitate procedere consuevit. Unde restat tantummodo respondere ad fundamenta in oppositum adducta pro secunda opinione à num. 36.

75 Ad primum igitur respondetur episcopum ita demum non posse contradicere translationi, ex quo semel consentit se fieri episcopum, si ex iusta causa transferatur. Aliàs poterit ad eundemmet Summum Pontificem recurrere, & causas nullitatis vel iniustitiæ translationis deducere, *c. si quando*, *supra de rescriptis*. Idque abundè probatum est in tertia opinione à num. 58. Nec procedit simile de Monach. ad episcopum; quia per translationem Monachi ad aliud monasterium nullum spirituale conjugium dissolvitur: at per translationem episcopi solvitur matrimonium spirituale, cuius dissolutio est de iure divino; & idè ab ecclesia fieri non potest, ut ostensum est supra num. 63.

76 Accedit quod priores cum in ecclesijs conventualibus per electionem Capitulorum suorum Canonice fuerint instituti, nisi pro manifesta, & rationabili causa, non sunt mutandi, ut est textus in *c. 2. in fine de statu Monachor.* fortius ergò idem dicendum in episcopo, qui longè strictiori vinculo ecclesiæ est alligatus.

77 Ad secundum, id est ad dictum Baldi, quod omnia beneficia mundi sint manualia papa, Respondetur, quidquid sit in beneficiis inferioribus, de quibus consulit Felin. in *cap. Quo in Ecclesiis*, num. 42. de *Constit.* & Ar. Pinel. in *rubr. par. 1. c. 2. num. 30. vers.* Altera inspectio, C. De *rescriptis*. certe in episcopatibus dictum Bald. non procedere; quia cum in his agatur de spirituali conjugio, cuius dissolutionem Deus suo iudicio reservavit, ut in superioribus probatum est: repugnat sacris regulis, ut episcopi quasi manuales Capellani sine ad nutum amovibiles; & ita dictum Bald. limitant Cephal. *conf.* 97. sub num. 19. Cened. *Canon. qu. 22. num. 3.* & ante eos Abb. in *pract.* qu. 1. num. 15. col. 14. *post med. vers. Sic etiam limitandum est dictum Bald. & c. Si gratiæ, de rescriptis*, in *c.* non loquitur, ubi matrimonium esset contractum inter prælatum, & ecclesiam, sed quando dispensatio fit ad tempus propter utilitatem personarum, quam papa ex causa facere potest, ut per Abb. *lita citato*.

78 Glossa verò in d. *cap. Per principalem* 9. q. 2. tantum dicit papam posse episcopum deponere, sed non dicit sine causa, prout ei Doctores imponunt. Unde intelligi debet iuxta terminos illius textus, qui loquitur de translatione ex causa necessitatis, ut patet ibi, *Cum necessitas fuerit*, & ita illam glossam intelligit Cardin. in *conf.* 142. *Prædictus*, *questio*, num. 4. *vers. Item non est verum.* Præterea eadem glossa intelligi potest in dubio, cum scilicet non appareat an episcopos fuerit depositus ex causa, necne: tunc enim Summus Pontifex præsumitur motus ex iusta causa ut declarat Abb. in *d. qu. 1. num. 15. col. 13. post med. vers. Et sic iudicium meo.*

Ad secundum respondetur negando Consequentiã: nam contrarium argumentum hoc tantum concludit, ut sicut Romana ecclesia dignitates fundavit, ita possit illas suppressere: & sicut Apostolicus instituit episcopos, ita possit illos destituere. Sed hinc non licet inferre: ergo hæc fieri possunt pro libito voluntatis; cum in his iusta causa exigatur, ut in superioribus probatum est, & mox etiam patet. Et ad doctrinam Innocentij, de qua supra num. 46. respondetur, ut *infra* num. 80.

79 Ad tertium respondetur primò, adducta in contrarium procedere de potestate absoluta, secundum quam potest Princeps jus tertij auferre pro libito voluntatis. Secus verò de potestate ordinaria, & à jure regulata, ut declarat Gemin. *conf.* 8. num. 6. & 7. & *conf.* 53. in *princ. vers. Quædam est potestas suprema.* Alexand. *conf.* 216. num. 10. *vers. septimo Princeps lib. 2.* Item prædicta procedunt quoad forum ecclesiæ militantis, in quo non licet disputare de factis papæ, *c. si quis studente*, §. *Qui autem* 17. qu. 4. quia ipse de illis iudicat, sed à nemine iudicatur, *c. si papa*, 40. *dist.* At secus est quoad Deum, ut post Joan. de Lign. in *Clem. Gratia de rescriptis*. declarat Abb. in *c. Extirpanda*, §. *Qui verò* num. 44. de *preben.* ita intelligens doctrinam Innocentij in *c. Cum ad monasterium*, num. 3. de *statu Monachorum*. Dixi in *c. Ex parte il primo* num. 61. de *Cler. non residen.* Unde si præter consuetudinem Romanorum Pontificum contingeret hic casus, ut papa rem Clerico auferret, & daret alteri, aut quem beneficio privaret absq; rationabili causa, quam-

80

81

visi iudicio Ecclesiæ non esset subiectus, & beneficiatio non liceret contradicere: tamen iniuste ageret, & quoad Deum non esset à peccato immunis, ut fateatur glossa nostra in *ver. Veri Dei*, & egregie deducit Cardin. Zabarel. d. *conf.* 142. num. 2. & Abb. in *sepius citata qu. 1. num. 12. & seqq.* Addit Cardin. dicto *conf. num. 3.* quod dici solet papam habere plenariam dispositionem beneficiorum, ita esse intelligendum, ut evitetur inconveniens ne alicui fiat iniustitia. Sed & Roman. d. *conf.* 345. num. 15. *vers. Mundem consultationem*, dicit non esse verum quod dicunt glossa, & Doctores, videlicet papam posse omnia in beneficiis; quia debet intelligi si iusta causa concurrat, alias fecus. Ratio prædictorum est, quia Summus Pontifex constitutus est à Deo non à hominibus, sed dispensator bonorum Ecclesiæ secundum illud Lucæ 12. *Quis parus fidelis est dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam*, c. *Non liceat Papa*, & ibi Archid. Bellam. & D. D. 12. q. 1. & docet S. Thom. in 2. 2. q. 100. *art. 1. ad 7.* ubi Card. Galet. singulariter ait: [Nota tertio, quod cum potestas papæ quoad res temporales Ecclesiæ sit potestas non domini, sed dispensatoris, ut in littera dicitur: cõ sequens est ut plenitudo potestatis Papalis circa bona Ecclesiæ temporalia non exeat limites potestatis dispensativæ: sicut in naturalibus plenitudo potestatis calefactivæ nõ exiit limites potestatis calefactivæ; & in Politicis plenitudo potestatis regie non exiit limites regie potestatis. Ac per hoc non potest Papa ad libitum donare res Ecclesiæ, sed potest tamquam habens apicem dispensativæ potestatis, multò plus de eisdem dispensare, quam quicumque alius proximus Ecclesiæ alicuius Prælati.] Hæc illè. Idem docuit Ulricus de Argentina Alberti Magni Auditor in *suâ summa Theologia*, quem refert, & sequitur Cardin. Turrecrem. & Præpos. in *c. Latorem*, 1. q. 1. Debet igitur Apostolicus esse fidelis, & pro-

82 vidus dispensator, & eius iudicium debet de vultu Dei prodire, ut in *c. Ut nostram*, ut *Eccles. benef.* & *c. Cum æterni*, de *sen. & re iudic.* lib. 6. & consequenter non licet ei res Ecclesiæ, aut beneficiũ Clerico auferre sine iusta, & rationabili causa.

83 Ex alio etiam capite Cardin. in *præleg. conf.* 141. dicit verum non esse, papam sine causa posse quem privare beneficio, vel episcopatu; nempe quia acceptans beneficium sibi collatum videtur ex quasi contractu se obligare ad illius administrationem, c. *Nisi cum pridem*, §. *Verum ibi*, [Sponsam tuam, cui desigendo manum, apud extraneum te fide media copulasti.] De renunc. Huiusmodi autem contractus non potest sine causa dissolvi, etiam per principem, ut in *c. 1. Cum ibi natus*, de *probatione*. & sequitur Felin. in *c. Quo in Ecclesiis*, num. 42. *vers. Sed Dominus Card. de Constit.*

84 Deinde respondetur ea quæ dicuntur de potestate Apostolica in beneficiis, videlicet, papa potest omnia æquæ rotunda quadrata, potest efficere de albo nigrum, de nigro album, sola voluntas est pro ratione, & consimilia, quæ passim à Doctores inenleantur posse quidem admitti in beneficiis inferioribus, & in his, quæ sunt de jure positivo, prout in specie loquitur Bald. d. *conf.* 477. lib. 1. At secus dicendum est in episcopatibus, quia spirituale conjugium, quod

Prosp. Fagn. in 2. part. Primi Decretal.

jure divino inter episcopum, & Ecclesiam contrahitur, nulla humana potestate invito episcopo dissolvi potest sine iusta causa: ut sepius repetitum est, & ita declarant Abb. Cephal. & Cened. loci *supra cit.* num. 77.

85 Ad quartum respondetur retorquendo argumentum. Quoniam et si inferiores Sacerdotes transferri possint invit; tamen ad hoc requiritur causa necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ, ut probatur in iuribus in contrarium adductis, & notat Archid. in *c. Episcopus de loco in fine* 7. qu. 1. Ergò idem, & multo fortius dicendum in translatione episcopi.

89 Ad quintum, & sextum eodem modo respondetur exempla in contrarium adducta habere locum tantummodo concurrente gravi causa, quæ cessante, Apostolica sedes nec duos episcopos in uno episcopatu constituit, nec duos episcopatus uni concedit, nec dispensat super matrimonio rato, ut patet in locis ibidem cit.

90 Ad septimum respondetur, naturam dispensationis hoc importare, ut fiat habitata ratione ad bonum commune, ut docet S. Thom. in 1. 2. q. 97. *art. 4.* Ideoque nulla dispensatio fieri debet nisi ad honorem Christi, vel utilitatem Ecclesiæ, ut idem probat in 2. 2. q. 88. *art. 12.* Unde si auferretur alicui episcopatus sine causa communis utilitatis vel necessitatis; hæc non esset dispensatio bonorum Ecclesiæ, sed dissipatio ex notat. per Archid. in *cap. Licet Canon. n. 3. de elect.* lib. 6. Dixi in *c. Dilectus*, *infra*, de *tempor. ordin.*

Ad ultimum respondetur jura allegata retorqueri in contrarium; quia omnia probant translationem fieri posse ob Ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem, non autem pro libito voluntatis, ut dictum est supra n. 72.

91 Venio ad secundum membrum, videlicet cum papa transfert episcopum ex causa; & tunc distinguendi sunt duo casus. Primus est cum papa episcopum transfert, quia vult eum honorare. Et hoc primo casu absolutum est translationem requirere consensum Prælati; quia intelligitur facta sub conditione, si episcopus consentiat; ideoque ante illius ratificationem non vacat Ecclesia, ne quod ob gratiam eidem conceditur in ipsius dispendium retorqueatur, ut in *reg. sexti*. Quod ob gratiam, & in hoc primo casu procedit prima opinio, de qua supra num. 15. & rationes Joan. Monach. ibidem adductæ à num. 16. & in his terminis loquuntur Joan. Andr. in *d. c. Quod ob gratiam* & Calderin. *conf.* 56. circa finem, num. 4. *vers. Ad idem optime facit, quod est conf. 1. De translat. Prælator.* Idem firmant Abb. in *c. Cum nobis*, sub num. 5. circa fin. *vers. Vnde facit ista littera, de elect.* & in *c. fin. n. 13. de postul. Prælat.* Prob. ad Joan. Monach. in *cap. Generali*, num. 11. & 12. *ead. tit. lib. 6.* Joan. de Sclua de *benefic. l. part. q. 37. num. 2.* & Rota *desol.* 475. num. 7. *part. 2. in recentior.* & ita ex facto in casu episcopi Florentini in absentia ad Cardinalatum promoti, de quo supra num. 11. respondit Cardin. Zabarel. ut ipsemet refert in *d. c. fin. num. 10. in 14. quest. de postul. Prælat.* ubi etiam ait ita consultuisse Doctores Bononienses, & Florentinos.

92 Cæterum hæc conclusio cam patitur difficultatem, quod translatio in gratiam solius Prælati improbat à sacris Canonibus, ut in *c. Scias*

Frater, 76. q. 1. & in aliis iuribus supercitatatis n. 72.  
 93 Emeritò, quia dissolutio spiritualis conjugii, quam Deus suo iudicio reservavit, ut in c. prox. supra eod. requirit causam gravem, sicut requirit dissolutio matrimonij carnalis non consummati, ut notatur in cap. Ex publico de convers. coning. & Canones in translatione Episcopi ubique mentionem faciunt necessitatis, vel utilitatis  
 94 Ecclesiarum, ut dictum est eod. num. 72. Quinimò inevitabilem necessitatem exigit textus in cap. Sicut vir, 7. quest. 1. & aliter transiens dicitur  
 95 adulterium committere, ut ibi, & in cap. Sicut alterius, ead. cau. & quest. Et quamvis Episcopus nonnumquam transferatur ad Archiepiscopatum; hoc tamen non fit simpliciter in gratiam persone, sed ob majorem Ecclesie utilitatem, ut text. in c. proximo infra eod. Et hæc est ratio cur dispensatus ut possit transire ad majorem, non possit transire ad parem; quia nimirum in majori consideratur major Ecclesie utilitas, ut ibi deciditur. Cum igitur nulla translatio fieri possit nisi ex causa necessitatis, vel utilitatis Ecclesiarum: non video quomodo possit constitui differentia inter translationem, quæ fit in gratiam persone, & eam, quæ fit ex causa communis utilitatis, vel necessitatis, ut in primo casu translatio requirit consensum translati; in secundo autem non. Sed quia duram esset in practica recedere à communi opinione: Tu dic salvari posse dicta Doctorum in eo casu, in quo papa transferat Episcopum non invitum. Quod in dubio præsumitur secundum Calderin. conf. 2. De translat. Prælat. ad finem in illis verbis, Donec aliter declaret Papa intentionem: tunc enim et si translatio fiat ex iusta causa utilitatis Ecclesie ut in c. seq. tamen quia Papa vult etiam Episcopum honorare, & ideo non intendit illum cogere ad transeundum: idcirco non solvitur Episcopus à vinculo prioris Ecclesie, nisi post consensum præstitum ad secundam. Atque ita Doctores dum dicunt translationem fieri in gratiam persone, non excludunt causam communis utilitatis. Unde concludit in hoc primo casu Ecclesiam non vacare ante ratificationem Episcopi, non ex defectu potestatis Papæ, sed ex defectu voluntatis, quia scilicet non intendit Episcopum simpliciter, & absolute transferre, sed sub conditione, quatenus expressè, vel tacite consentiat, ut probatur est supra n. 16.  
 98 Dixi tacite, quia ad hoc non requiritur consensus expressus, sed sufficit præsumptus ex scientia, & acquiescentia, ut post Agid. Gremonen. concludit Joan. Andr. in c. Quod ob gratiam, n. 5. de regul. iur. in c. & Abb. cons. 101. n. 4. vers. Dum videtur sensisse, lib. 2.  
 99 Nec verum est quod dictum est supra num. 26. primam Ecclesiam per translationem non vacare ante adeptam possessionem secundæ: imò enim vocatio inducit eò ipso, quod Episcopus translationi consentit, ut latè consuluere Abb. in præleg. cons. 101. num. 3. vers. Sed prædictis non obstantibus: & per totum, ubi objectis omnibus respondet; & idem resolvit Rota decis. 475. à num. 6. part. 1. in recentior. ubi sub n. 16. ostendit opinionem illorum, qui dixerunt non induci vacationem Episcopatus, nisi post adeptam possessionem secundæ, esse erroneam, veluti innotam auctoritati glossæ in c. Si quis iam transla-

tus, quæ loquitur de translatione abusiva.  
 100 In secundo autem casu, id est cum translatio fit ex causa communis utilitatis, vel necessitatis, quamvis Doctores contrahit tantummodo à principio cum quis fit Episcopus, non autem cum transferatur ad aliam Ecclesiam, & ita eos pro hæc sententia allegat Ludovic. Roman. in præcat. cons. num. 1. ait enim: ex quo suo consensu quis Episcopus factus est, potest per papam invitum ad aliam ecclesiam transferri; quia non dicitur de novo contrahere matrimonium. ecclesia enim universalis est unum corpus mysticum multorum episcoporum concordia numerositate diffusum, cap. Novatiensis, 7. quest. 1. cap. Loquitur Dominus, 24. quest. 1. Unde quamvis ab initio nemo cogatur fieri episcopus, d. cap. Inter Canonicos, §. 1. & cap. Innotuit, supra tit. prox. tamen cum semel in hac universali ecclesia quis Episcopatus consentit, non potest papæ resistere eum ad aliam particularem ecclesiam transferre volenti. ex ea enim translatione causatur solum variatio loci, cujus cura episcopus præficiatur, non autem variatur dignitas episcopalis.  
 108 Nam locus vel sublimiorem, vel inferiorem non reddit episcopum, ut in cap. Legimus, 93. dist. Idem formaliter dicit Abb. in cap. fin. num. 13. supra de Pöf. Prælat. & sequitur Philipp. Prob. ad Joan. Monac. in cap. Generali n. 34. de elect. lib. 6. & novissimè Lotter. de re benef. lib. 1. quest. 12. num. 18.  
 Sed his non obstantibus verius existimo episcopum contrahere novum spirituale conjugium cum ecclesia, ad quam transferatur: quod probò iuris, & rationibus. Jura sunt in c. Sicut vir, 7. quest. 1. ubi episcopus sine causa transiens ab una ad aliam ecclesiam, dicitur primam uxorem derelinquere, & alteri per adulterium se conjugere, ergo si ex causa transeat, per matrimonium se conjugit, quod expressè habetur in cap. Sicut alterius, ead. caus. quest. ubi episcopus qui ecclesiam sponsam suam dimittit sine causa, & alteri sponte nubit, adulter existimatur. Sed si ex causa persecutionis, debet alteri associari. ergo si legitime transeat dicitur alteri nubere. Atque ita per illum textum tenet expressè Abb. consil. 151. num. 6. col. 5. ante med. vers. Sed Episcopus, lib. 2. ubi disertis verbis ait Episcopum ecclesie matrimonialiter obligatum non posse durante priori vinculo consentire alteri matrimonio spirituali; aliàs contingeret adulterium spirituale. Idipsum patet in cap. Proximo, supra eod. in §. Nos intuentes, ubi episcopus electus priori vinculo perdurante dicitur non posse ad secundam Ecclesiam canonicè consecrari adhuc conjugat alteri alligatus. Quod idem est ac si dixisset: non potest quis eodem tempore habere spiritualiter duas uxores. Idèdque quoad est priori vinculo alligatus, non potest contrahere cum secundâ.  
 110 Rationes autem sunt infrascriptæ. Prima ratio est, quia per translationem episcopus intulatur in secundam ecclesiam; cum translatio, sicut electio sit modus ecclesijs providendi, ut notat gloss. Jo. Andr. Bellam. Card. Butr. & Abb. supra, in rubr. Sed per electionem utique contrahitur ab electo spirituale conjugium, ut in cap. 1. & 2. supra eod. & in d. cap. Cum inter Canonicos, de elect. ergo & per translationem.  
 111 Secunda ratio, quia alioquin Episcopus trans-

latus nullius Ecclesie esset sponsus, non universalis Ecclesie, quia illius sponsus est Papa, non Episcopus c. Quoniam, de immam. Eccles. ibi, (Nos iustitiam nostram, & Ecclesie sponsæ nostræ) &c. & notat Turrecr. in cap. Sicut alterius, num. 3. 7. q. 1. quidquid contra scripserit Abb. in præleg. q. 1. num. 14. col. 14. post princ. vers. Et advertit. Non primæ Ecclesie particularis, quia ab illius vinculo fuit absolutus per translationem ut hic, & in c. 1. & 2. supra eod. Non secundæ, si cum illa spirituale conjugium non contraheret, absurdum autem esset ut quis esset episcopus aliquis Ecclesie, & nullius Ecclesie esset sponsus.  
 112 Tertia ratio, quia Episcopus translatus quoad primam Ecclesiam habetur pro mortuo, argum. l. Actioe, §. Publicatione, ff. de socio, §. Ecce in quibus, & ibi Archid. 7. q. 1. Ergo quoad secundam Ecclesiam perinde haberi debet ac si à principio fieret illius Episcopus. Quo casu non esset dubium quin eidem sociaretur spirituali conjugio, ut hic, & in d. cap. Sicut vir, & c. Sicut alterius, cum concord.  
 113 Quarta ratio, quia si Episcopus ad secundam Ecclesiam translatus obiret, utique Ecclesia diceretur viduata, ut in c. proxima, vers. Cum non intelligitur. Hoc autem indicat cum illa præcessisset spirituale matrimonium; alioquin vidua esse non posset, si virum non habuisset, ut in cap. Vidua, & ibi gl. 1. 34. dist.  
 115 Quinta ratio, quia in tantum Prælati dicuntur Ecclesie sponsi, in quantum ut Dei ministri exterius cooperantur aut prædicationis verbo, aut dispensatione Sacramentorum ad generationem filiorum spiritualium, quos non sibi, sed Christo generant, ut docet S. Thomas in tract. suo contra impugnantes religionem relatus à Turrecrem. in d. cap. Sicut alterius, num. 3. vers. Est autem præ pleniori noticia: proprie enim solus Christus est Ecclesie sponsus, cap. Ecclesie meæ, vers. Ipsi enim Ecclesia, 97. dist. extravag. Vnam sanctam, de maior. & obed. Concil. Trident. sess. 22. de sacris, Missæ c. 1. ibi, (dilectæ sponsæ suæ ecclesie) Sed episcopus translatus eodem modo tenetur cooperari in secunda ecclesia, quo tenebatur in prima; quia cum secundæ curæ gerat, adstringitur præcepto divino oves suas verbi divini prædicatione, & Sacramentorum administratione pascere, c. Ephesus, 43. dist. c. Qui Episcopatum, 8. q. 1. c. Præcipue, 11. q. 3. & habetur in Concilio Tridentino c. 1. sess. 23. ergo est sponsus secundæ ecclesie, quemadmodum fuit primæ.  
 117 Sexta, & ultima ratio. Si episcopus cederet episcopatu, aut deponeretur Summi Pontificis auctoritate, & postea alteri ecclesie præficeretur, negandum non esset quin interim contraheret cum secunda spirituale conjugium. ergo idem dicendum si per translationem secundæ ecclesie præficiatur, qui à vinculo prioris ecclesie æquè absolvitur per translationem, ac per cessionem, vel depositionem, ut in c. præcedenti.  
 Ex quibus censio episcopum rursus contrahere matrimonium spirituale cum ecclesia ad quam transferatur, & ita tenet expressè, Joann. Monac. in c. Generali, num. 13. de elect. lib. 6. & Jo. Andr. in c. Quod ob gratiam, num. 2. vers. Item ut dicit, de regul. iur. eod. lib. in Mercatoris, dum disertis verbis dicunt acquisitionem secundæ sponsæ spiritualis fieri non posse absque libera-

tione à prima, arg. cap. 2. & 4. infra de secundis nupt. & translationem quantumcumque puram intelligi sub conditione, si nuptiz cum secunda sequitur fuerint, & idem tenet Abb. *supra* cit. nu. 109. Atque hinc necessario sequitur, ut invitus transferri non possit quoad hoc, ut sit Episcopus secundæ Ecclesiæ, cum matrimonium tam spirituale, quam carnale sine consensu non possit consistere, ut per Cardin. in d. c. *fin.* num. 10. in 14. quest. vers. *Pars prima probatur.* *supra* de postul. *Prætor.* & latius ostensum est *supra* nu. 103. Et sane si conjux esset absolutus à vinculo matrimonij carnalis, utique invitus cogi non posset ab Ecclesiâ alteri nubere, dicente Apost. 1. ad Corinth. 7. *Quod si dormierit vir eius, cui vult nubat, sicut alterius 7. qu. 1.* Ergo similiter Episcopus per translationem solutus à vinculo matrimonij spiritualis, ab Ecclesiâ cogi non potest præcisè, ut alteri nubat.

Et huic opinioni videntur adhzere Jo. Monac. in d. c. *Generali*, n. 15. de elect. lib. 6. & Jo. Andr. in d. c. *Quod ob gratiam*, col. 2. n. 1. in fine, de reg. iur. lib. 6. dum dicunt Papam ex causa transferre posse Episcopum invitum, saltem ut careat prima, quasi sentiant secus dicendum esse quoad hoc ut alligetur secundæ: Eamque aperte amplectitur glossa unica in c. *Episcopus de loco 7. qu. 1.* ubi primò decidit Clericum, qui non vult transire de minori ad majorem, non posse cogi ab Episcopo, & mox subdit: hoc autem papa potest, sed si ad alium Episcopatum vocatus est Episcopus, necessarius est consensus Episcopi, allegat 71. dist. per totam, & cap. *Archidiaconum Florentinum*, 85. dist. Atque ita clarè sentit glossa Papam posse quidem transferre Episcopum invitum, sed non quoad hoc ut præcisè alligetur

119 secundæ Ecclesiæ, nisi consentiat. Dixi præcisè, quia forte cogi posset causativè ad instar postulati, qui etsi dissentire valeat quoad hoc ne possit invitus beneficiari; tamen causativè potest compelli consentire per subtractionem beneficii, cap. *Quatuor*, de et. et. & qualis. cap. *Licet canon.* in glof. in ver. *Ipsa iure de elect. lib. 6.* & tenet Carain. in d. cap. *fin.* num. 10. vers. *Die danda regulam*, ubi etiam Abb. num. 12. *supra* de postul. *Prætorum*, & sic cogi potest, ut de nolente fiat volens, ut inquit glof. in cap. *Omnis*, in ver. *Coactè*, 7. quest. 1. At est text. in c. *Displicet*, ver. *Et tamen multi*, 23. q. 4. Verum priusquam translationi consentiat, non esset secundæ Ecclesiæ Episcopus, & si semper esset nolens, non deberet cogi, ut dicit glof. in d. cap. *Displicet*, in ver. *Inviti*, per text. in cap. *In scripturis*, 8. quest. 1. & notatur in c. *Ante omnia*, 40. dist. & in c. *Canonisti*, c. distin.

120 Venio ad tertium membrum principale, videlicet cum est dubium an Summus Pontifex Episcopum transferat ex causa, nec ne. Et tunc Bald. in l. *Rescripta*, num. 8. vers. *Item omnia beneficia*, c. *De precib. Imper. offeren.* distinguit sic; aut papa procedit providendo; & non cogitur provius transire, quia præsumitur factum ejus favore. Aut procedit jubendo; & cogitur transire, quia præsumitur factum favore Ecclesiæ, cap. *Omnis*, 7. quest. 1. Ad hoc faciunt notata per Legistas in l. *fin.* c. *Sic contra ius*, vel utrius. publ. & in leg. *Præscriptione*, c. *De precib. Imper. offeren.* & per Canonistas in cap. *Que in*

121 Ecclesiarum, *supra* de Constit. ubi communiter volunt causam præsumi in principe etiam si agatur in his, quæ competunt alicui jure gentium; imò et in his, quæ sunt de jure divino, ubi solum est dispensari; & in proposito translationis tenet Abb. in *precitata* quest. 1. num. 15. col. 13. circa med. vers. *Venio ad tertium membrum*, ubi etiam est 3. num. 4. vers. *Baldus verò*, amplectitur *supradictam* Baldi distinctionem. Quam etiam, sequitur Philipp. 122 Prob. ad Io. Monach. in c. *Generalis* num. 41. & 42. de elect. lib. 6. qui etiam pro dicto Baldi allegat Feder. de Senis *cons.* 263. *Præsupposito*, ubi tenet Monachum translatum per papam ad aliud monasterium intuitu persone posse ad primum monasterium redire sine licentia papæ, secus si intuitu Monasterij.

Tempera tamen secundam partem distinctionis Baldi, id est cum papa procedit jubendo, ut respectu secundæ Ecclesiæ cogatur quidem Episcopus transire, non tamen præcisè, sed ad summum causativè per ea quæ dixi *supra*, num. 102, & seq. & num. 119.

123 Quod si quæras, quid juris sit si non appareat an papa processerit providendo, vel jubendo, ut si in litteris dicatur Episcopum per suum ad Ecclesiâ, cui præest, ad Ecclesiâ Ferrariensem duximus transferendum; Respondeo in hoc dubio translationem præsumi factam non tantum favore Ecclesiæ, sed etiam in gratiam persone; & sic de Episcopo non invito juxta opinionem Calder. de qua *supra* num. 96. & consequenter non induci vacationem præ Ecclesiæ, nisi post consensum præstitum ad secundam, ex his, quæ dicta sunt *supra* à num. 91. usque ad num. 100.

DE AVTH. ET VSV

PALLII

Cap. Quia nos.

S U M M A R I U M.

- 1 Archiepiscopus potest celebrare sine Pallio, & Sandalijs. & num. 5.
- 2 Pallium est Pontificale Archiepiscopi.
- 3 Sandalia sunt calceamenta purpurea, quibus utuntur Episcopi.
- 4 Compagi sunt caliga Episcoporum.
- 5 Episcopus an possit celebrare in Pontificalibus, & prædicare in aliena Diocesi sine licentia Diocesani, & num. 12.
- 6 Et quid si Pontificalia habeant mixtionem iurisdictionis, vel officij, & num. 12. Et quid post Concilium Tridentinum, num. 9. & 14. & 18.
- 7 Pallio non utitur Archiepiscopus in Diocesi aliena etiam de licentia Diocesani, nisi super hoc sit privilegiatus.
- 8 Pallij usus strictior est quam Pontificalium.
- 9 Pontificalia exercere non potest in alterius Diocesi Episcopus utrumque privilegiatus sine Ordinarij licentia, & in personas eidem Ordinario subiectas.
- 10 Idem in locis nullius Diocesis.
- 11 Episcopus an in Ecclesiis monasteriorum exemptorum

vani intra sua Diocesi sine existentium, invitis eorumdem Ecclesiarum Regularibus in Pontificalibus celebrare, ac prædicare possit. & n. seq. usque in finem.

2 3 Missa celebratio in Pontificalibus non est iurisdictionis, sed honoris, & præminentia.

4 5 Exempla loca quavis sint in Diocesi consentit tamen ac si essent extra Diocesim, & num. 17.

6 6 Procedit quoad iurisdictionem contentiosam, non quoad voluntariam, & num. seq.

7 7 Pontificalia habentia mixturam iurisdictionis, vel officij Episcopus exercere non potest in loco exempto sue Diocesis.

Regularis resistentes Episcopo exercere volenti Pontificalia in eorum Ecclesiis non ab ipso Episcopo, sed ab eorum Superioribus Regularibus sunt compellendi.

Q UIA NOS. Sine Pallio, & Sandalijs potest Archiepiscopus celebrare. Hoc dicit, Jo. Andr. Bald. Butr. Cardin. Anchar. Imol. Abb. & Joan. de Anan. Pallium est Pontificale Archiepiscopi, cap. *Nisi*, *supra* eodem, & post Paulum de Eleaz. notat Anchar. in Clem. 2. num. 3. vers. *Circa usum Pontificalium de privileg.* Et Sandalia sunt calceamenta purpurea, vel depicta, quibus utuntur Episcopi, ut dicit Butr. de Sampson, & post eum Joan. Andr. hic num. 2. Bellam. in princip. & Abb. num. 1. Alibi dicuntur Compagi, ut in cap. *Nonnulli*, §. *Compagi*, 93. dist. & dicit ibi glof. Compagos esse sandalia, seu caligas Episcoporum. Dividitur in duas partes. In prima decisa consultatur. In secunda responso ibi, *Inquisitioni*.

In textu ibi, *In aliena diocesi*. Nota Archiepiscopus posse celebrare sine pallio, & sandalijs etiam in diocesi aliena, quod intelligit glof. 1. de licentia Episcopi diocesani, alijs secus, quia non debet ponere calcem in messem alienam, c. *Scriptum est*, 6. q. 3. cap. *Nullus Primas*, 9. qu. 2. & concordant Vincent. & Tancred. hic relati ab Holt. in princip. Privatim verò, ut subdit glof. celebrare potest etiam sine licentia, ut cap. *Tua*, de cler. *Peregr.* & diocesanus debet illum invitare, cap. *Episcopi*, vel *Presbyteri*, 7. q. 1. Atque ita sentit glof. Archiepiscopum non posse in diocesi aliena celebrare publicè, vel solemniter sine diocesani licentia. Sed innocentius hic in princip. in verb. *Aliena*, dicit Episcopos in diocesis alienis etiam de licentia diocesani celebrare, non uti Pontificalibus, nisi super hoc sint privilegiati. Allegat cap. *Ad supplicationem*, de renunciat. & pro opinione Innoc. fortiter facit text. in Clem. 2. de privileg. in quantum ex privilegio Archiepiscopi, & Episcopis ulum Pontificalium concedit in locis exemptis, ex quo deducitur, ut sine speciali juris permissione non potuissent illis uti, ut ibi per Anchar. in 2. notab. Et si non potuissent in locis exemptis suæ provincie, vel diocesis, multo minus extra ipsa. Præterea ibi expressè habetur ulum pontificalium competere Archiepiscopo intra provinciam, & Episcopo intra diocesim, ergo non extra. Verum Holt. hic in princip. in eodem verb. *In aliena*, tenet etiam in Pontificalibus, & sine licentia diocesani posse Episcopum jure suo ce-

lebrare, sicut servat generalis consuetudo, & etiam prædicare, nisi specialiter prohibeatur, remittens ad notata in c. *Cum ex invidio*, infra de heretic. Sed glof. magna circa finem in Clem. 2. de privileg. reducit istas opiniones ad concordiam hoc modo, videlicet, aut loquimur de simplici usu Pontificalium absque mixtura iurisdictionis, vel officij, puta celebrando, vel prædicando: & hoc casu vera sit opinio Hostien. ut scilicet sine licentia uti possit, nisi prohibeatur, ut ipsemet declarat loco cit. Aut loquimur de Pontificalibus cum mixtura iurisdictionis, vel officij, puta ordinando, degradando, christmando, vel similia faciendo: & tunc fit vera opinio Innocentij, ut talia exercere non possit, ut 9. q. 3. per totam. Si tamen circa illorum exercitium haberet licentiam diocesani: tunc uti possit Pontificalibus secundum glossam, & in hoc differunt pontificalia à pallio, quo non uteretur Archiepiscopus in aliena provincia etiam de licentia illius, ad quem spectat, nisi super hoc esset privilegiatus, cap. *ex Tuam* *supra* eodem.

8 8 Strictior est enim usus Pallij, quam Pontificalium, ut ibidem patet, & in c. primò, & secundò, & c. Ad honorem *supra* eodem, & declarat glof. *prealleg.* in d. Clem. 2. ubi etiam Anchar. num. 3. in fine.

9 Ceterum istas opiniones partim sustulit, & partim declaravit jus novissimum Concilij Tridentini *sess.* 6. cap. *ultim.*, quo statutum est, ut nulli Episcopo liceat cujusvis privilegij prætextu Pontificalia in alterius diocesi exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subiectas tantum; & si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinarij ab executione ordinum sint ipso jure suspensi. Nam qua parte hoc decretum prohibet exercitium Pontificalium in alterius diocesi nisi de Ordinarij licentia, videtur reprobasse opinionem Hostienis adhaerentis id licere sine licentia diocesani: nisi dixeris Concilium posse intelligi, de exercitio illorum Pontificalium, quæ habent mixturam iurisdictionis, ut innuit illa verba: *In personas eidem ordinario subiectas*. Nec non illa; *sic ordinarij ab executione ordinum, &c.* Quæ quidem Pontificalia etiam Hostien. censuit exerceri non posse in diocesi aliena. Dum verò Concilium permittit de licentia ordinarij exercitium Pontificalium etiam ordinando, aperte sustulit opinionem Innocentij, quatenus asseruit, nec de licentia Diocesani Episcopum posse hujusmodi Pontificalia exercere in diocesi aliena, nisi specialiter super hoc sit privilegiatus. Demum in eisdem verbis: & *in personas eidem Ordinario subiectas*. Concilium declaravit opinionem glossæ, videlicet ut possit quidem Episcopus exercere Pontificalia etiam christmando, & ordinando de licentia Diocesani, dummodo tamen id faciat in personas eidem Ordinario subiectas. Et quod dixit Concilium de exercitio Pontificalium in alterius diocesi, idem intelligas in locis, quæ nullius diocesis esse dicuntur, ut scripti in cap. *Nullus*, num. 52. de *Parochijs*, & adde quæ habentur in cap. 2. *sess.* 14.

11 NUNC QUÆRO an Episcopus in Ecclesijs monasteriorum exemptorum intra suæ diocesis fines existentium, invitis eorumdem Ecclesiarum Regu-

Regularibus in pontificalibus celebrare, ac prædicare possit.

- 12 Videtur respondendum posse. Nam de iure communi, etiam controversum sit inter Doctores an Episcopus possit celebrare in Pontificalibus extra diocesim sine licentia diocesani loci, cum Innoc. hic putet non posse, Hostiensis vero sentiat oppositum, ut fusc ostensum est supra à nu. 5. & Hostiensis opinionem communiter videantur sequi DD. in Clem. 2. de privileg. attestantes id observari ex consuetudine quando Episcopus utitur pontificalibus sine ulla mixtionem jurisdictionis vel officij, ut post glos. ibi in verb. Etiam celebrare, notant raulus Eleazar. & petr. de Anchar. nu. 7. Joan. de Imol. num. 12. Abb. nu. 4. & ceteri omnes. Tamen nullus dubitat quin Episcopus in loco suæ diocesis exempto possit in pontificalibus absque illius licentia celebrare. De hoc enim est textus expressus in dict. Clem. 2. §. Simili, de privileg. Nam cum textus in principio indulgisset Archiepiscopo, ut in locis suæ provincie exemptis possit pontificaliter celebrare, postea subiunxit: (simili modo concedimus Episcopo, ut in locis eiusdem scilicet exemptis) suæ diocesis possit populo benedicere, audire divina officia, & ea etiam celebrare, id est pontificaliter, ut innunt illa verba, simili modo 3. & ponderat glossa magna in princ. Imol. num. 12. & Bonifacius de Vitalinis nu. 13. & 17.
- 13 Et ratio est, quia cum hæc celebratio in pontificalibus respiciat honorem, & præminentiam, non autem jurisdictionem, conceditur Episcopo intra suam diocesim in loco etiam exempto propter reliquias præcedentis subiectionis ante exemptionem, quæ multum operantur, argum. l. Cum quis. §. Primò, ff. De solutione, l. Servus, C. De questionibus, & notat Vitalin. in dicta Clement. 2. num. 4. Neque propterea violantur exemptorum privilegia, quæ salva manent in ceteris absque eo quod ex tali celebratione aliquid juris acquiratur Episcopo in præiudicium exemptorum, ut habetur expressè in d. Clem. in fin. & notat Vitalin. ibidem num. 27.

Et in hac facultate Episcopo competenti de iure, ut possit Missam pontificaliter celebrare in locis suæ diocesis exemptis includitur etiam facultas sermonem habendi ad populum, & prædicandi, ut aperte supponitur per Vitalin. ibid. num. 66. & satis colligitur ex dicta glos. magna, ubi loquens de nudo usu pontificalium absque jurisdictione ita exemplificat, scilicet Missam celebrando, & prædicando, eamque ibi sequuntur omnes Doctores.

- 14 Nec obstat si dicatur hæc quidem esse vera de iure communi, sed diversum sibi inductum esse decreto Tridentini Concilij in d. c. 5. sess. 6. quo prohibetur Episcopis pontificalia in alterius diocesis exercere sine licentia ordinarij loci, ut fusc dictum est supra num. 9. Nam loca exempta, etiam in diocesi, censentur tamen ut loca extra diocesim existentia, ut notat petr. de Ubald. in tract. de Canon. Episcop. & Parochial. c. 6. §. 4. num. 11. ubi ait monasterium exemptum in diocesi existens æquiparari monasterio existenti extra diocesim. Si igitur Concilium prohibet exerceri pontificalia extra diocesim: ergo prohiberi censentur etiam in locis exemptis, quæ æquiparantur locis extra diocesim existentibus. Hoc

inquam non obstat, nam respondetur loca exempta, etiam non dicantur de diocesi, esse tamen in diocesi, ut probatur in cap. Cum Episcopus, ibi, in quolibet loco sua diocesis non exempto, de offic. ordinarij. lib. 6. & in d. Clem. 2. de privileg. ubi hoc tenent Zenzel. & Lap. Abb. num. 2. & post eos petr. de Anchar. in princ. & Cardin. in §. Simili, in 4. q. Abb. in cap. Apostolica, n. 3. de donation. Rota decif. 207. num. 2. par. 2. divers. Ideoque huiusmodi loca exempta reputantur extranea, seu extra diocesim quoad jurisdictionem contentiosam, cum non subint jurisdictioni Episcopi, sed non quoad ea, quæ sunt voluntariæ jurisdictionis, ut post Guillel. de Monte Laudun. notat Imol. in præleg. Clem. 2. n. 3. super gloss. in verb. Crucem, & ibi etiam Vitalin. num. 31. ubi ait in locis exemptis non posse Episcopus exercere potestatem, & iudicium, sed bene posse uti insignijs honoris, & devotionis, ut in d. Clem. 2. Sic ergo ea regula quod locus exemptus æquiparatur loco extra diocesim non est indistincte vera, sed tamen quoad certos effectus, ut optime deducit Felin. in cap. Gratam, num. 2. in fin. de off. ordinarij. & ad propositum questionis nostræ æquiparatio procedit quoad jurisdictionem, quam Episcopus exercere non potest in locis suæ diocesis exemptis, sicut nec in locis extra diocesim, ut cap. Luminosa. 18. q. 2. & d. cap. Cum Episcopus, de off. ord. lib. 6. sed non quoad insignia honoris, quæ potest deferre, & eis uti ubique in sua diocesi, etiam in loco exempto, ut habetur in sæpius citata Clem. 2. de privileg. & propterea dum Concilium Tridentinum in d. cap. 5. sess. 6. prohibet ne in alia diocesi Episcopus pontificalia exerceat, censetur etiam prohibere ne illa exerceat in locis exemptis, si illa pontificalia habeant mixtionem jurisdictionis, vel officij, ut si ordinat, degradet, christinet, vel similia faciat: nam quoad prædicta vera est æquiparatio, ut locus exemptus perinde habeatur ac si esset extra diocesim. Secus autem est si tamen pontificalibus utatur prædicando, & Missam celebrando, quia tunc quoad hæc insignia absque jurisdictione locus exemptus non æquiparatur loco existenti extra diocesim, ut elicitur ex glos. magna in eadem Clem. 2. & fusc dictum est supra n. 6.

Quibus accedit quod Concilium non sine mysterio usum est illis verbis: (Nulli Episcopo liceat Pontificalia exercere in alterius diocesi:) nec dixit extra diocesim, immens propterea le noluisse prohibere, quin Episcopus exerceat pontificalia in locis exemptis: nam etiam si loca exempta dicerentur esse extra diocesim secundum opinionem Imolæ in d. Clem. 2. nu. 3. tamen non dicuntur esse in aliena diocesi; & sic Episcopus in eis Pontificalia exercens non potest dici in alterius diocesi ea exercere; & sic non habet locum prohibitio Concilij.

- 19 Id tamen est animadvertendum, quod si exempti indebitè restiterint Episcopo quominus in eorum locis pontificalia exerceat, non poterunt propterea ab eodem Episcopo puniri, sed ipsum oportebit agere coram superiore exemptorum, ut eos cogat permittere, arg. c. Nullus, de iure par. & tradunt in d. Clem. 2. Lapis n. 3. Card. in §. Sic tamen, n. 5. & reliqui omnes.

## DE RENVNCIATIONE.

## Cap. Ex Transmissa.

## SUMMARIUM.

- 1 Renunciatio beneficio suo expressè, vel tacitè, illud repetere non potest.
- 2 Abbates ex consuetudine alicubi dicuntur Rectores Ecclesiarum secularium.
- 3 Et alibi reperuntur Abbates seculares.
- 4 Et multus in locis Consules, & Rectores artium Abbates appellantur.
- 5 Sed Abbas propriè est caput Monasterij Monachorum.
- 6 Infirmus potest vivere, & profiteri, nisi sit extramentum.
- 7 Renunciatio beneficio intelligitur eo ipso, quod quis auferat bona collata Ecclesie, in qua est beneficiatus, & habitum probationis assumit, licet professio non sequatur, & num. 8.
- 8 Et quid post Concilium Tridentinum, num. 9.
- 8 Intellectus cap. Beneficium de Regular. lib. 6.
- 10 Clericus bona à se collata Ecclesie in qua est beneficiatus, auferre potest, & secum in monasterium transferre.
- 11 Privatus beneficio, & postea noviter receptus non recuperat primam iura.
- 12 à Privatione ad habitum non datur regressus, & num. 13.
- 13 Fallit si habitus non est omnino extinctus, sed tantum velatus. dicto num. 12.
- 14 Ius renunciacione scriptum non invivisit.

**E**X TRANSMISSA. Qui renunciavit beneficio suo expressè vel tacitè illud repetere non potest, hoc dicit secundum Ant. de Butr. & Joan. de Imol. sed Abbas Antiq. summabat sic, Qui ad sui petitionem licentiatus transit ad aliam Ecclesiam, jus perdit, quod habebat in prima. Dividitur in duas partes, Prima ponit querelam, Secunda providet, ibi. Verum quominus.

- 2 Nota primò ibi, Abbas de Ceparano, Prælatos, seu Rectores Ecclesiarum secularium alicubi appellari Abbates. Nam iste Abbas non erat monachus, quia Ecclesia erat secularis, non autem Regularis, ut in glos. prima, & Laurent. dicit se ita didicisse à Clericis illius Ecclesie, ut hic refert Jo. Andr. n. 13. Unde Innoc. in princ. exponit verbum Abbatis, scilicet clerici secularis. Idè Host. in princ. Dominus, id esse iuxta consuetudinem Metropolitanz civitatis, in qua Rectores secularium Ecclesiarum vocantur Abbates, secundum Geoff. Vel iuxta consuetudinem aliarum Ecclesiarum in quibus Abbates seculares reperuntur, ut est Abbas Sancti Felicis Valentini, & Abbas Claromonten. & in Hispania sunt multi tales Jo. Andr. dict. num. 13. dicit hoc esse vulgare Apulorum, Catalanorum, & Hispanorum.
- 4 Nec mirum, quia etiam Consules, & Priores Artium multis in locis Abbates appellantur, Alciat. in l. Collegiarum, ff. De verb. significat. Item in Aragonia Rectores dicuntur Abbates, & co-

rum uxores dicuntur Abbatisse. Card. in Clem. Attendentes, §. Statimus, in §. quest. de stat. monach. Verum hæc nomenclationes improprie usurpantur, quia Abbas propriè est caput monasterij Monachorum, ut ibi. quest. 2. per totam, cap. Cum ad monasterium, infra de stat. monach. Colleg. Paduan. cons. 2. nu. 26. & seq. post consilia Cardin. ubi plura de antiquitate Abbatum, & Monachorum, de quo etiam per Caccialup. cons. 10. num. 5. & seq. post Consilia ejusdem Cardinalis.

6 Secundo nota ibi, Dum infirmitate laboraret, per corporis infirmitatem non impediri actum voti, vel professionis; & sic validum est votum in infirmitate emissum, nisi tanta sit morbi vis, ut mentis alienationem inducat, ut cap. Sicut nobis, & ibi dicitur num. 22. infra de regular. & in c. fin. de Success. ab intestat. & hic notant Host. in princ. in verb. Infirmitate, Jo. Andr. num. 4. Butr. & Abb. in secundo notat. Quippe metus mortis sive proveniat ab intrinseco, & causis naturalibus, sive ab intrinseco, & causis liberis, nunquam irritat professionem, nisi fuerit incurfus ad professionem extorquendam, iuxta terminos cap. Primus, infra de his qui vi met. caus. ut fusc probavi in cap. Siquis, nu. 81. & 82. infra de regularib.

7 Tertiò nota ibi, Sibi petijt habitum Monasticum multigeri. Quod eo ipso quod quis habitum probationis assumit, & auferat bona à se collata Ecclesie, in qua est beneficiatus, censetur beneficio renunciare, nec potest illud repetere, licet professionem non emitat, de quo est casus notabilis, & apertus hic secundum veritorem intellectum: nam iste Clericus p. Ruben erat Canonicus Ecclesie Sancti Nicolai de Ceparano secundum glos. Bald. & Abb. in figuracione casus, Host. in princ. in verb. Clericus, & Jo. Andr. numer. 3. in fin. Et in Ecclesia Sancti Salvatoris suscepit habitum monasticum (id est probationis secundum omnes) petijtque à prima Ecclesia bona illi collata sibi restitui, ut patet ibi; (Ex quo ea, quæ sibi contulerat ad petitionem suam resignavit eidem.) Et propter hoc censetur tacitè beneficio renunciasse, ut constat ex illis verbis: dicta Ecclesia ab eo soluta dignoscitur, præsumitur enim habuisse pro derelicta primam Ecclesiam. Tum quia omnia bona eidem à se prius collata inde abstulit; tum quia in Religione habitum probationis assumpsit, secundum Innoc. n. 1. nec ibi expressè, vel tacitè professionem emisit: alioquin Papa non hortaretur Abbatem, & Clericos Ecclesie secularis Sancti Nicolai, ut eum reciperent in socium, & in fratrem, ut accuratè observat idem Innoc. hic in fin. in verb. Recipient, & tamen Canonicatum sic tacitè dimissum non recuperat, nec Prælatum Ecclesie, & socij coguntur eum amplius recipere, ut in text.

8 Sed his obstatè videtur determinatio Papæ in cap. Beneficium, de regularibus, ubi patet beneficium ingredientis religionem infra annum probationis non vacare, nec posse alteri conferri nisi ad id ipsius ingredientis accedat assensus, quia per hoc intelligitur beneficium renunciare, vel nisi professionem faciat expressam, vel tacitam, quæ inducitur assumendo habitum profectorum, vel habitum probationis cum proposito abso-